MASTER NEGATIVE NO. 93-81601-20

AUTHOR:

LANGE, ADOLF

TITLE:

ANIMADVERSIONES CRITICAE DE AENEAE...

PLACE:

CASSEL

DATE:

1883

Master Negative #

93-81601-20

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Lange, Adolf Carl.
Animadversiones criticae de Aeneae commentario poliorcetico, von dem gymnasiallehrer Dr. Adolf Lange... Cassel, Döll, 1883.
46 p. 25½ cm.

At head of title: Königliches gymnasium zu Cassel...Programm.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 14x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 7/23/93 INITIALS F.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

BIBLIOGRAPHIC IRREGULARITIES

MAIN
ENTRY: HUG, ARNOLD
AENEAS VON STYMPHALOS

Bibliographic Irregularities in the Original Document
List volumes and pages affected; include name of institution if filming borrowed text.

______Page(s) missing/not available:______

______Volumes(s) missing/not available:______

✓ Illegible and/or damaged page(s): TITLE PAGE


______Page(s) or volumes(s) misnumbered:______


______Bound out of sequence:______


______Page(s) or illustration(s) filmed from copy borrowed from:______

______Other: BEST COPY AVAILABLE


BEST COPY
AVAILABLE










Centimeter
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm
1 2 3 4 5
Inches









Königliches Gymnasium zu Cassel,

genannt Lyceum Fridericianum.

Programm

vom Schuljahre 1882|83

als

[illegible] der am 17. März 188[illegible]

öffentlichen Vorfeier [illegible]tstages

Sr. Majestät des Kaisers und König[illegible]

sowie

zu der mit derselben verbundenen Schlußfeier.

Inhalt: 1) Animadversiones criticae de Aeneae commentario poliorcetico. Von dem Gymnasiallehrer Dr. Adolf Lange.
2) Schulnachrichten. Von dem Direktor.

Cassel 1883.

Druck von Ludwig Döll.

1883. Progr. Nr. 351.

Animadversiones criticae de Aeneae commentario poliorcetico.

Scripsit

Adolfus Carolus Lange,

Phil. Dr.

Aeneam Tacticum [1]), veterrimum illum scriptorum Graecorum, qui de re militari proprie egerunt, quamquam ei multis vulneribus librariorum incuria, petulantia interpolatorum illatis gravissime aegrotanti nonnulli viri docti hoc ipso saeculo multis iisque fortissimis medicamentis mederi studuerunt [2]), minime tamen refectum esse, quisquis accuratius eum contemplatus erit, non negabit. Tantum enim abest, ut omnia vel paene omnia commentarii poliorcetici menda correcta lacunaeve expletae sint, ut permultis etiamnunc locis claudicet oratio, permultis foede interrupta sit verborum defectu. Accedit quod ipse capitum ordo, qualis exhibetur in codice Mediceo plut. LV, 4 [3]), unde fluxere tres codices Parisini 2425 (A), 2522 (B), 2443 (C), proximis his temporibus in suspicionem venit. Quae cum ita sint, operae videtur pretium esse primum agere de turbato capitum ordine, deinde de nonnullis locis commentarii poliorcetici.

I.

De capitum commentarii poliorcetici ordine in codice Mediceo plut. LV, 4 turbato.

Primus Kirchhoffius litteris ad Arn. Hugium datis [4]) professus est, sese suspicari „capp. VII et XVIII – XXVII, quae olim fuissent sibi contigua, separata esse interpositis capp. VIII – XVII,

---

[1]) De quo cf. Arn. Hugii dissertationem inscriptam „Aeneas von Stymphalos, ein arkadischer schriftsteller aus klass. zeit (gratulationsschrift der universität Zürich an die universität Tübingen zu deren vierhundertjähriger stiftungsfeier vom 8.—11. August 1877)“ et ea, quae ipse de Aeneae operibus, aetate, patria (contra Hugium), sermone, fontibus iisque, qui Aeneam cognitum habuerunt, scriptoribus veteribus exposui in libro, quem inscripsi „De Aeneae commentario poliorc.“ Berolini sumptibus S. Calvary eiusque socii 1879. (Praefatus est Leop. Schmidt.)

[2]) Cf. eas, quae post Isaaci Casauboni editionem (Paris. 1609) principem hoc saeculo prodierunt editiones: J. Conr. Orellii Lipsiae 1818; Turicensium (Hermanni Koechlyi et Guilielmi Ruestowii) in libro, qui inscribitur „Griech. kriegsschriftsteller“ vol. I Lipsiae 1853; Rudolfi Hercheri editiones maiorem et minorem Berolini 1870; Arn. Hugii Lipsiae 1874. — Propriis praeterea dissertationibus de textu constituendo egerunt: F. Haasius in Jahn. annal. philol. vol. XIV. 1835; Meierus in „Observationibus in Aeneam Tact. (catal. lect. Hall. aestatis a. 1835)“; Hertlinus in libello inscripto „Symbola critica in Aeneam Tact. (progr. Lycei Wertheim.)“ 1859; Meinekius in Hermae vol. II p. 174–190; Hercherus ib. et in sequentibus voll; Herm. Sauppius in libri, qui inscribitur „Göttinger gelehrte anzeigen“ tom. I pag. 729—753. 1871; Hugius in „Prolegomenis criticis ad Aeneae Poliorcetici editionem“ (progr. univers. Turic.) 1874; ego in libri supra l. cap. II et III pag. 67—204; Alb. Mosbachius in libello, quem inscripsit „De Aeneae Tactici commentar. poliorc.“ Berolini apud Mayerum et Muellerum 1880.

[3]) De cod. Med. natura cf. quae dixi l. l. pag. 58—65.

[4]) cf. Hug. edit. praef. pag. VIII—IX.

quamquam, ubi haec inserenda essent, non satis liqueret". Quam suspicionem quoniam ipse vir doctissimus argumentis non confirmavit neque ostendit, et quomodo illa capp. VIII—XVII loco suo detrusa et quo loco reponenda essent, non est, quod pluribus verbis de ea disputemus. Alter exstitit Albertus Mosbachius [5]), qui commentario poliorcetico diligenter pertractato Kirchhoffio assensus l. l. non illorum tantum capitum, sed omnium fere inde a cap. IV usque ad XXIII ordinem multifariam mutatum esse probare studuit. Qui utrum recte an perperam de hac re iudicaverit, ut intellegas, iam mecum perlustres, quaeso, primum qui sit capitum I—XXIII conexus in cod. Med. traditus, et ubi quibusque de causis Mosbachius eum turbatum esse censeat, deinde quae post cap. XXIII ipse suspicer in alienum locum decidisse.

Priusquam vero ad illam quaestionem difficillimam diiudicandam transeamus, paucis proponam, quam legem criticam statuendam esse existimem: ac mihi quidem videtur rerum ordo, quem cod. Med. praebet, servandus esse, dum demonstretur, primum aliquam partem a rerum conexu alienam esse, deinde quo loco melius se habeat.

Sed inspiciamus iam singula.

Aeneas prooemio postquam eorum, qui extra fines suos bellum gererent, longe aliam esse condicionem exposuit atque eorum, qui suam patriam ab hostibus defenderent, quod illis quidem clade affectis patria et urbs relinquerentur, his contra re male gesta nulla spes salutis esset, eos, qui de summa republica decertaturi sint, admonet, ut omnibus viribus enitantur, multa variaque prospiciant, summopere denique caveant, ne suamet ipsorum culpa affligantur ab hostibus. Quo autem modo summa cum providentia oppidum sit defendendum, primo cap. ostendere incipit: oppidum dico, quia perlustrato commentar. poliorc. Aeneam non tam magnas urbes defendendas, copiarum magnam multitudinem disponendam, quam oppidum ab insidiis gentium finitimarum et obsidione non nimii exercitus defendendum respicere, facile unusquisque intelleget. Ipsis vero prooemii verbis *τοὺς οὖν ὑπὲρ τοσούτων καὶ τοιούτων μέλλοντας ἀγωνίζεσθαι* non minus quam insequentibus praeceptis luculentissime docetur, inde a primo cap. eam rerum condicionem Aeneae ante oculos versari, ubi b e l l u m o p p i d o i m m i n e a t h o s t e s q u e i n f i n e s e i u s i r r u p t u r i e s s e p u t e n t u r.

P r i m o c a p. Aeneas pro urbis magnitudine et situ, pro vigilum collocatione et circuitionibus, pro terrae urbisque locis, pro imminente periculo copiarum partes constituendas esse docet. Belli peritissimos prudentissimosque eligi necesse esse, qui circa duces versentur; laborum patientissimos, qui et ad eruptiones circuitionesque faciendas et ad iuvandos eos, qui ab hostibus urgeantur, ad omnia denique eiusmodi munera perpetranda semper parati sint; reliquorum robustissimos in stationibus et moenibus collocandos, eam, quae supersit, multitudinem in foro, theatro, aliis areis vacuis disponendam esse.

Cap. II deinde praestare dicit, eas, quae inutiles sint, areas vacuas vallis fossisque obstrui, ne praesidia in iis collocari oporteat, neve occupari possint ab hostibus et iis, qui novis rebus

---

[5]) Quod ad atheteseon rationem pertinet, Mosbachius mihi (cf. l. l. pag. 66 et 100) assentitur, cum ipse quoque (pag. 1) Hugium indicet multo longius progressum verso stilo tractasse comm. poliorc., ita ut non solum singulas sententias pro additamentis habendas putaret, sed longiores orationis partes perpetuasque historias censeret esse delendas. Plura etiam Mosbachius quam ego Aeneae ipsi tribuenda arbitratur. — Ceterum data occasione nonnumquam in annotationibus convertamur ad refutanda ea, quae Hugius, quo magis nobis persuaderet, iure se discerpsisse Aeneae commentarium, protulit in annal. philol. tom. 119 pag. 241 sq., quibuscum conferas oportet eiusdem tomi pag. 461 sq. et Zarnckii annal. qui vocantur „Literar. Centralblatt" 1879 pag. 1261—62 et annal. litterar. Jenens. 1879 pag. 426.

studeant. Quod praeceptum quam utile sit, Lacedaemoniorum (§ 2) et Plataeensium (§ 3—6) exemplis ostendit. Tamen etiam quae obstent huic praecepto, respicienda esse [6]): fieri enim posse, ut maiore cum commodo oppidanorum non obstruantur areae illae vacuae, si quidem complures in oppido sint. Nam si duae ex tribus e. gr. occupentur ab adversariis, ex duabus una, tamen fore ut una relinquatur civibus, unde illos aggredi possint; si omnes, fore ut adversarii dispersi et divisi minus valeant viribus quam cives in unum conglobati locum, nisi forte omnibus ex partibus illi civibus superiores sint.

Quo vero celerius cives subito terrore orto et ordinentur et in singulis moenium partibus ad custodiendam defendendamque urbem disponantur, c a p. III Aeneas, ut sua cuique tribui moenium pars sorte attribuatur, praecipit; similiter, si qua urbs a sociis defendatur, ut singulis sociorum copiis singulae murorum partes attribuantur. Ne autem quid inopinati civibus accidat, in pace etiam singulis vicis praeficiendos esse viros prudentissimos, ad quos, si quid noctu improvisi factum sit, cives statim armis captis conveniant, ut ab illis (quos *ῥυμάρχας* vocat) in proximam aream vacuam deducantur.

---

[6]) II, 7 8, quae §§ sic leguntur in cod. Med. *ἐξοιστέον δὲ καὶ τὰ ὑπεναντία τούτοις* [*ὡς* ex dittographia natum: cf. quae enumeravi l. l. pag. 60—61] *μιᾶς μὲν οὔσης εὐρυχωρίας κίνδυνον εἶναι τοῖς ἐν τῇ πόλει, ἂν προκαταλαμβάνωσιν οἱ ἐπιβουλεύοντες (κοινοῦ γὰρ καὶ ἑνὸς ὄντος τόπου τοιούτου τῶν φθασάντων ἂν εἴη τὸ ἔργον), δύο δὲ ἢ τριῶν ὄντων τοιῶνδε τόπων τάδε ἂν εἴη τὰ ἀγαθά. εἰ μὲν ἕνα ἢ δύο καταλαμβάνοιεν τόπους, τὸν λοιπὸν ἂν τοῖς ἐναντίοις ὑπάρχειν· εἰ δὲ πάντας, χωρισθέντες ἂν καὶ μερισθέντες ἀσθενεστέρως διακέοιντο πρὸς τοὺς ὑπεναντίους ἀθρόους ὄντας, εἰ μὴ ἑκάστῳ μέρει ὑπερέχοιεν τῶν ἐν τῇ πόλει,* Hugius (proll. critt. pag. 15 16; ann. phill. l. l. pag. 254—55) delendas censet, cum et ego l. l. pag. 117 sq. ipsi Aeneae eas attribuendas putem, et Mosbach. pag. 7 mihi assentiatur. Ac quoniam satis iam l. l. de illis verbis disputatum est, liceat monere, prima verba aliter intellegi non posse atque ipse proposui pag. 118: „(Etsi optimum est in universum areas vareas obstrui), tamen etiam rationes, quae his praeceptis obstant, in medium proferendae sunt". Cui sententiae minime repugnat, quod Hugius (pag. 254) dicit: „In der that werden die einwendungen bloss vorgetragen ohne jegliche äusserung darüber, ob sie ganz oder teilweise berechtigt seien: und gerade das ist unter der voraussetzung, das Äneas autor sei, rein unbegreiflich: in irgend einer weise müsste er sich doch mit diesen einwendungen abfinden, bzw. sie widerlegen". Neque enim quidquam Aeneas dixit nisi proferenda esse, quae obstent, neque alibi, ubi quae praeceptis suis opponi possint, commemorat, pluribus disputat, utrum iure illa sibi opponantur necne, e. gr. XXII, 13; XXVI, 6; sed commemorasse satis habet. Quod vero Hugius contendit, iubere Aeneam areas non obstrui, si complures sint, obstrui, si una sit, aut si adversarorium maxima manus sit metuenda, et deinde pergit: „Welch eine ungeheuerliche ausdrucksweise, um schliesslich bloss zu sagen: es empfiehlt sich die verbarrikadierung dann, wenn nur ein platz ist. das hinzufügen einer zweiten bedingung (*εἰ ἑκάστῳ μέρει ὑπερέχοιεν* [quae verba quomodo intellegi velit, Hugius non significat]) bringt völlige verwirrung: als ob man schon zu der zeit, wo man beschluss über die verbarrikadierung zu fassen hat, zum voraus wissen könnte, ob die feinde später *ἑκάστῳ μέρει* überlegen sein werden oder nicht.", et errat et ipse sibi obloquitur. Errat, quod ita agit, quasi Aeneas in §§ 7—8 praecipiat, cum hic p r o f e r a t tantum, quae praeceptis § 1 datis o b s t e n t: non obstructis areis diversa oppidanis evenire posse scriptor dicit, aut commodo aut damno, si aut complures aut una area vacua in oppido sit: nam si plures sint, fore ut omnibus illis occupandis dispergantur adversarii, *εἰ μὴ ἑκάστῳ μέρει ὑπερέχοιεν τῶν ἐν τῇ πόλει.* Minime igitur his verbis scriptor alteram condicionem praecepti sui exsequendi adicit — neque enim omnino praecipit — nec id tempus respicit, quo deliberant oppidani, utrum areae obstruendae sint necne, sed e contrario, quae, si hostes areis vacuis potiti sint, accidere possint civibus, ostendit. — Obloquitur autem sibi Hugius, quod altera quidem ex parte contendit, pluribus Aeneam de rationibus, quae praeceptis suis obstent, disputare debuisse, altera ex parte, iusto plura verba cum de illis rationibus fecisse. Nec denique dicendi rationem nimis obscuram inveniri in §§ 7—8, id quod aeque ac in proll. critt. Hugius arbitratur, et l. l. exposui et quisquis accuratius ipsa verba inspexerit, sibi persuadebit. Omnino autem, si quidquid alicui critico videtur paulo obscurius expressum esse, e textu scriptorum veterum removendum esset, quantopere

Signa vero iis, qui nocte conveniunt, constituta esse oportet (cap. IV [7]), ne per noctis tumultum tenebrasque undique concurrentes discernere nequeant eos, qui obvii sunt. Jam enim Chalcidensibus accidit, ut, adversariis nocte urbe potitis cum cives ex somno excitati perterritique nullo ordine neque ullis signis constitutis congregarentur, multi hostibus se adiungerent, rati suos esse illos, itaque modo singuli, modo bini occiderentur, donec occupata urbe apparuit, ad quos sua cum pernicie properavissent. Item inimicis haud procul versantibus quaecunque copiae rei gerendae causa emittuntur seu terra seu mari, cum signis et diurnis et nocturnis emittendae sunt, ne ii, qui in urbe remanent, copias appropinquantes si conspiciant, suaene an hostiles sint, ignorent. Una cum illis etiam mittendi sunt, qui, quidquid geritur, significent, ut, qua in condicione copiae emissae versentur, cives ex maximo intervallo cognoscant. Quid vero iis, qui incaute nullis signis constitutis copias emittant, accidere possit Megarensium a Pisistrato dolo oppressorum exemplo demonstrat.

Quae cap. IV praecepta cum optime in rerum conexum quadrent, Mosbachius pag. 8—9 his argumentis caput falso loco positum esse probare studet: „Hoc praeceptum in eisdem civibus valere videtur qui pacis tempore ordinati nocturno subito terrore exorto ad arma concurrunt: eis signa quoque dari necesse esse, quibus qui accedant bene dignoscere possint. Sed quo tandem tempore signa illa putemus constituta esse? Tum demum civibus signa dari, cum noctu ad rhymarchas convenerint, nemo nobis persuadebit, quia neque tum omnia pericula evitantur — antequam enim omnes ad unum conveniant, singuli fraude decipi possunt cf. § 3 — neque hoc modo cives omnes a civibus, sed eiusdem tantum vici socii dignosci possunt. Pacis tempore, inquies, signa dari vult Aeneas, cum de locis convenit civibus vicanique praeponuntur praefecti. Tum vero aut omnibus civibus idem signum aut aliorum vicorum civibus alia dari debent ita, ut non solum sui quisque vici signum sed omnium vicorum signa probe sciat: miramur quod hac de re Aeneas prorsus nihil dixit". — Neque vero, qui sit rerum conexus, Mosbachius perspicit: nam profecto iam ipso pacis tempore et rhymarchae eligi et signa constitui debent eum ad finem, ut subito aliquo nocturno tumultu orto — belli igitur tempore — quam celerrime et quam maxime compositae ordinataeque singulae civium partes in ea, quae iis antea assignata sunt, loca deducantur, utque ipsis illis signis antea constitutis statim, quamvis nox tenebraeque sint, discernere possint, si qua manus appropinquat, utrum hostes an cives sint. Ex ipso autem rerum conexu apparet, omnibus civibus eadem signa dari, cum illorum, qui nocte congregantur, non tam intersit scire, cuius vici incolae sibi per tenebras occurrant, quam civesne an hostes obvii sint. Quae cum ita sint,

illi nobis essent dilaniandi! An quisquam putat, hanc veram esse rationem criticam: parum intellego, ergo deleo!? Mihi quidem *ἀκρισία* videtur esse. — Accedit, quod verba post § 8 ab Herchero et Hugio expuncta: *ὡς δὲ αὔτως καὶ κατὰ τῶν ἄλλων πάντων θελημάτων* (Hertlinus *βουλημάτων*) *χρὴ τὰ ἐνόντα ὑπεναντία τοῖς προγεγραμμένοις ὑπονοεῖν, ἵνα μὴ ἀπερισκέπτως τι ἕτερον αἱρήσῃ* (Meierus; *αἱρῆσαι* cod. Med.), quae recte Koechlyus vertit: „ebenso muss man auch bei allen übrigen entschliessungen die den gegebenen regeln entgegenstehenden einwände berücksichtigen, damit man nicht ohne überlegung das eine oder das andere wählt", demonstrant eum, qui illa scripsit, sive interpolator seu ipse Aeneas, §§ 7—8 ita scriptas legisse, ut proposui: neque enim illa apponi potuissent, nisi §§ 7—8 revera prolata essent talia, quae recte Koechlyus appellat „einwände (gegen die vorgeschriebenen massregeln)". Idem iam monui l. l. pag. 120.

Ceterum Mosbachius errat, quod voces *οἱ ἐναντίοι* § 8 ad voces *οἱ ἐπιβουλεύοντες* § 7, *οἱ ὑπεναντίοι* ad *τοὺς ἐν τῇ πόλει* pertinere arbitratur; quae quomodo intellegendae sint l. l. ostendi.

[7]) Prima capitis verba, quae sic tradita sunt in cod. Med.: *εὐθύτατα δὲ αὐτοῖς πεποιῆσθαι σύσσημα*, recte videtur Sauppius emendasse l. l. pag. 729: *ἔπειτα δεῖ αὐτοῖς πεποιῆσθαι σύσσημα*.

intelleges ea quoque futilia esse, quae iam sequuntur apud Mosbachium: „Deinde signis illis nihil aliud effici potest nisi ut cives a civibus cognoscantur". Nam hoc sane summi momenti est in ea rerum condicione, neque quidquam aliud effici Aeneas voluit. Pergit Mosbachius: „Sed ad id ipsum *τὰ συνθήματα* cap. XXIV dantur et *παρασυνθήματα* cap. XXV. Nam si quis haec eo consilio ab Aenea praecepta putat, ut oppidani viderent hostes esse qui signa nescirent: hoc aperte dicendum erat. Verba vero *ἀφ' ὧν μὴ ἀγνοήσουσι τοὺς προσιόντας αὐτοῖς* ita dicta videntur, ut *οἱ προσιόντες* possent non minus scire signa quam nescire h. e. ut socii aeque atque hostes esse possent ei qui noctu advenirent (cf. § 5 *ἵνα μὴ ἀγνοῶσι πολεμίων αὐτοῖς ἐπιφαινομένων εἰ φίλιοι ἢ πολέμιοί εἰσιν.*). Sed quinam sunt milites illi qui pacis tempore noctu ad urbem appropinquantes signis cognosci debent utrum hostes sint necne? Num alii possunt esse atque hostes subito irrumpentes? Nonne absurdum est tum de signis quaerere?" — Quibus in verbis complures errores insunt. Primum enim non distinguit Mosbachius inter *σύνθημα* (tessera, vernacula: parole) et *σύσσημον* (signum, vernacula: signal), sed utrumque confundit. Aeneam vero accurate illa distinguere longeque alium usum *συνθήμασιν*, alium *συσσήμοις* tribuere et ipso cap. XXIV, quod proprie ad custodes spectat, et VI, 7 docetur, ubi haecce exstant: *σύνθημα δὲ μὴ ἔχειν* (sc. *τοὺς ἡμεροσκόπους*) *τοῖς ἀστοῖς* (ita scribendum esse pro eo, quod Med. praebet, *αὐτοῖς* l. l. pag. 191 ostendi) *ἓν καὶ τὸ αὐτό, ὅπως μήτε ἑκόντες μήτε ἄκοντες, ἐὰν συλληφθῶσιν ὑπὸ τῶν πολεμίων, εἰπεῖν ἔχωσι τὸ τῶν ἐν τῇ πόλει σύνθημα. παραγγέλλεσθαι δὲ τοῖς ἡμεροσκόποις αἴρειν τὰ σύσσημα ἐνίοτε κ. τ. λ.* Qua ratione quoniam accurate Aeneas distinguit inter *σύνθημα* (tesseram) et *σύσσημον* (signum), in cap. IV, ubi de *συσσήμοις* agitur, tesserae nullus est locus. Ex illo autem Mosbachii errore alter atque is quidem gravior fluxit: ita enim argumentatur, quasi nocte ad portas urbis accedant hostes ibique interrogentur, quaenam tessera sit: neque enim aliter verba eius supra exscripta intellegi possunt. Sed ut omittam, hoc ipsi Mosbachio absurdum videri, Aeneas eam respicit rerum condicionem, ut hostes urbe dolo vel vi oppressa iam intra ipsa moenia congrediantur cum civibus. Quare non tam refert, utrum illi civium tesseram noverint necne, quam illos non iis, quibus cives, signis uti itaque facile a civibus cognosci posse. § 5 vero verba [8]) minime ad eandem rerum condicionem spectant ad quam § 1. Nam in § 1 *οἱ προσιόντες* sunt ii, qui intra ipsam urbem civibus nocturno tumultu orto concurrentibus obvii fiunt, qui utrum hostes an cives sint, ex signis cognoscitur. Aliter verbum illic intellegi non posse exemplo incuriae cladisque Chalcidensium a scriptore allato luculentissime ostenditur: nam ea de causa afflicti sunt Chalcidenses, quod nocte concurrentes *τοὺς προσιόντας* non cognoverunt, qui essent, sed singuli ab iis intercepti occisique sunt. In § 5 autem non ab iis periculum imminet, qui iam in ipsa urbe versantur, sed qui ad urbem appropinquantes a civibus conspiciuntur. Omnino vero, quantum intersit inter praecepta § 1 et 5, Mosbachium fugit: dicit enim: „Videtur mihi res ipsa indicare hoc loco de militibus agi qui ex urbe egressi noctu redeant, qui signa cum civibus in urbe remanentibus composita habere debeant. Hoc certe pacto evitantur omnia incommoda, modo ne credas ad pacis tempora ea spectare — nam eo consilio constituuntur signa inter eos qui exeunt et eos qui remanent, ne hostes redeuntium civium specie

[8]) § 5 l. l. pag. 70—71 sic legendam proposui: *προνοοῦντα* (ita Hercherus; vel, si malis, *πολεμοῦντα*, quod traditum est) *οὖν χρὴ ἐγγὺς ὄντων τῶν πολεμίων πρῶτον μὲν τὰ ἀποστελλόμενα ἐκ τῆς πόλεως κατὰ γῆν ἢ κατὰ θάλατταν ἐπί τινα πρᾶξιν μετὰ συσσήμων ἀποστέλλειν καὶ ἡμερινῶν καὶ νυκτερινῶν πρὸς τοὺς ὑπομένοντας, ἵνα μὴ ἀγνοῶσι προσιόντων* (Med. *πολεμίων*) *αὐτοῖς ἐπιφαινομένων, εἰ φίλιοι ἢ πολέμιοί εἰσιν.*

urbem intrare possint — sed eam significari condicionem urbis, ut hostes in finibus versentur". — Sed, id quod supra iam diximus, Aeneam primae § praecepto eos tantum respicere cives, qui ipsa pacis condicione ab hostibus subita nocturna fraude urbe potitis in summum discrimen adducti sint, et quorum nihil magis intersit, quam ut per tenebras concurrentes statim cognoscant, quinam sibi occurrant, hostesne an cives, ipso Chalcidensium incuriae exemplo demonstratur. Nulla belli iam prius incepti mentio est neque in prioribus capp. neque IV, 1 neque in iis, quae de Chalcidensibus narrantur. Data autem occasione scriptor, cum semel de signorum usu verba facere coepisset, § 5 alterum praeceptum adiunxit, quod ad eos spectat, qui bellum gerunt et a quibus hostes haud procul absunt, videlicet ut omnes copiae, quae ex urbe ad rem gerendam emitterentur, cum signis emitterentur, quibus redeuntes a suis cognosci possent. Praeter ipsum praeceptum etiam exemplum ab Aenea allatum, rerum condicionem toto genere diversam esse ab ea, quae in § 1 est, ostendit. Nam Pisistratus certior factus, Megarensibus in animo esse Atheniensium mulieres Eleusinia celebrantes rapere, insidiis positis et milites Megarensium occidit et omnes naves cepit. Quibus cum suos milites imposuisset et Megarensium fallendorum causa nonnullas feminas addidisset, ad vesperum procul ab urbe Megaris naves appulit. Megarenses vero, conspectis et navibus et feminis, suos milites victores cum mulierculis captivis rediisse rati ad praedam contemplandam exierunt: quos necopinantes aggressus Pisistratus multos trucidavit, multos captivos secum reduxit. Minime igitur de hoste iam in ipsa urbe versante agitur, sed de hoste dolo, per speciem civium redeuntium, ad urbem appropinquante. At ne § 5 quidem praecepta necesse est spectare ad hostes iam in finibus urbis versantes: sed possunt hostes, quippe qui haud procul absint ab urbis finibus (*ἐγγὺς ὄντων τῶν πολεμίων*), aeque ac Pisistratus ille, qui antea in Megarensium finibus versatus non erat, dum copiae profectae ab urbe absunt, celeriter ad eam appropinquare: qui ne pro civibus revertentibus habeantur, eo efficitur, quod inter cives ad rem gerendam profectos et cives in urbe remanentes certa quaedam signa convenerunt. Praeterea supra iam monitum est, totam priorem partem libelli Aeneani ad eam urbem spectare, in cuius finibus hostes nondum versentur. — Nec rectiora sunt, quae sequuntur apud Mosbachium: „Unde efficitur ut capiti IV olim antecessisse quaedam credenda sint et de hostibus qui advenerint et de oppidanis qui urbe exierint; cuius opinionis probabilitas si qua est eo augetur, quod initium capitis corruptum esse vidimus". — Quae ipsa sententia ex errore illo Mosbachii fluxit, quod sibi finxit, antea iam advenisse hostes eandemque rerum condicionem esse initio cap. et § 5. Quod vero postremum argumentum affert, nihili est, cum veri tantum simile sit, leve aliquod mendum calami lapsu ortum inesse in vocibus *εὐθύτατα δέ*, qualia sescenties in cod. Med. reperiuntur. Contra IV, 1 arte cohaerere cum praeceptis III, 4—6 supra iam monuimus: nihil igitur inter finem cap. III et initium cap. IV olim positum fuisse apparet, quod qui statuerit, viderit, ne ipse rerum conexum turbet.

Quoniam igitur perperam de cap. IV Mosbachius iudicat, sequentia quoque capita ad eam pertinere urbem, cuius in finibus hostes sint, statuit, aequa iniuria. Nam cap. V Aeneas praecipit, ut custodes portarum eligantur homines et prudentes et locupletes, quibusque in urbe ipsa fidei pignora sint, liberi videlicet et uxores. Nonne vero hi portarum custodes iam eo tempore eligendi sunt, ubi urbi bellum imminet necdum hostes in finibus versantur? An tum demum cavendum esse civibus bellum exspectantibus Mosbachius censet, cum Hannibal sit ante portas? Accedit, quod ne uno quidem verbo Aeneas hostium in finibus versantium mentionem facit.

Nec melius Mosbachius de cap. VI statuit, quo Aeneas docet, diurnos speculatores, quos *ἡμεροσκόπους* vocat, ante urbem in locis editis collocandos esse, qui significent, si hostes ad fines appropinquent vel transgrediantur, quot sint hostes, quid agant, quo proficiscantur. Si vero non sint eiusmodi loca, e quibus sublata signa in urbe conspici possint, plures deinceps collocandos esse *διαδεκτῆρας τῶν αἰρομένων σημείων*. Optimum vero esse, si terra ad equitandum apta sit, equites una cum illis excubare, qui, si quid signis indicari nequeat, ipsi quam celerrime nuntient. Deinde sequuntur § 6—7 verba: *πέμπειν δὲ ἐκ τῆς πόλεως τοὺς ἡμεροσκόπους ὄρθρου ἢ ἔτι νυκτός, ἵνα τοῖς τῶν πολεμίων σκοποῖς μὴ κατάδηλοι ὦσιν ἡμέρας πορευόμενοι ἐπὶ τὰ ἡμεροσκοπεῖα. σύνθημα δὲ μὴ ἔχειν τοῖς ἀστοῖς*[9]) *ἓν καὶ τὸ αὐτό, ὅπως μήτε ἑκόντες μήτε ἄκοντες, ἐὰν συλληφθῶσιν ὑπὸ τῶν πολεμίων, εἰπεῖν ἔχωσι τὸ τῶν ἐν τῇ πόλει σύνθημα. παραγγέλλεσθαι δὲ τοῖς ἡμεροσκόποις αἴρειν τὰ σύσσημα ἐνίοτε, καθάπερ οἱ πυρσευταὶ τοὺς πυρσούς.* — Ad quae Mosbachius pag. 9 annotat: „. . . ubi de hostibus fines urbis transgressis cogitasse Aeneam his locis convincitur: § 6 *ἵνα τοῖς τῶν πολεμίων σκοποῖς μὴ κατάδηλοι ὦσιν ἡμέρας πορευόμενοι ἐπὶ τὰ ἡμεροσκοπεῖα.* § 7 *ἐὰν συλληφθῶσιν ὑπὸ τῶν πολεμίων.*" — Sed videtur Mosbachius ad hunc errorem ea maxime re inductus esse, quod *πολέμιοι* commemorantur ab Aenea: quasi ille, quidquid praecipit, non semper hostium rationem habeat! Jam I, 2 exstant verba: *τὰ μὲν γὰρ ἐκπορευόμενα δεῖ συντετάχθαι πρὸς τοὺς ἐν τῇ πορείᾳ τόπους καὶ τὰς τῶν πολεμίων διαβάσεις καὶ τὰς ἐκ τῶν τοιούτων παρατάξεις*: num igitur ille contendet, primum quoque cap. referendum esse ad eam urbis condicionem, ubi hostes iam fines transgressi sint? Immo procul dubio Aeneas cap. VI suadere vult, ut antequam hostes in fines urbis irrumpant, hemeroscopi constituantur, quippe quorum munus sit significare urbis incolis, qui et quot hostes appropinquent, quo contendant, quid moliantur. An Mosbachius copiarum quidem partes eligendas disponendasque, areas vacuas obstruendas, suam cuique manui moenium partem assignandam, rhymarchas denique eligendos esse (cap. I - III) censet, antequam irrumpant hostes, portarum contra custodes et *ἡμεροσκόπους* (cap. V—VI) constituendos esse demum hostibus fines transgressis? Sed ipsa cap. VI praecepta ostendunt, hemeroscoporum stationes prope fines sitas esse debere, procul ab urbe, eum ad finem, ut quaecunque hostium manus ad fines appropinquet, statim ab illis conspiciatur: alioquin non praeciperet Aeneas § 4 *ἄλλους ἐπ' ἄλλοις διαδεκτῆρας εἶναι τῶν αἰρομένων σημείων, οἳ σημανοῦσιν εἰς τὴν πόλιν,* 5 *εἶναι δὲ τοὺς ἡμεροσκόπους καὶ ποδώκεις κ. τ. λ.,* 6 *ἄριστον δὲ ἱππασίμων ὄντων τῶν τόπων καὶ ὑπαρχόντων ἵππων ἱππέας συνημερεύειν*[10]), *ἵνα διὰ τῶνδε θᾶσσον ἀγγέλληται.* Deinde et supra iam commemoravimus, Aeneae haud ita magnum oppidum defendendum ante oculos versari, et qui erat civitatum Graecarum status, quarum fines plerumque satis angusti erant, plurimum intererat incolarum urbis, quam primum se certiores fieri, si qua finitimorum hostium manus subito in agros irruperat, id quod in creberrimis earum civitatum discordiis saepissime factum esse comperimus. Quod vero speculatores hostium commemorantur § 6, nonne illi etiam ante bellum ipsum illatum mittuntur, ut loca resque eorum, quibus hostes bellum inferre parant, explorent? Qui speculatores, si forte *ἡμεροσκόπων* stationes cognitas habuerint, hostes vel iis locis irrumpere conabuntur, quae quam minime in *ἡμεροσκόπων* conspectu sita sunt, vel *ἡμεροσκόπους* intercipere studebunt, ne ab his statim ipsorum adventus oppidanis nuntietur. Quorum utrumque periculosissimum esse oppidi incolis apparet, nec minus periculosum esse, si

---

[9]) cf. pag. 5 et l. l. pag. 191.

[10]) *συνημερεύειν* legendum esse pro obscuro illo *συνιμείρειν* codicis Med. l. l. pag. 190 docui.

ἡμερόσκοποι oppressi ab hostibus oppidanorum tesseram (σύνθημα) cum illis communicare cogantur: quod ne fiat, optimum est aliam ἡμεροσκόποις, aliam oppidanis tesseram dari. Quae omnia praecepta ita comparata sunt, ut minime spectent ad urbem, cuius in finibus hostes iam versentur, sed ad eandem rerum condicionem, ad quam capita I—V, urbem dico, cui bellum immineat et ad cuius fines hostes appropinquent. Nec denique ante cap. XV hostium fines transgressorum mentio fit in comment. poliorc., ubi exstant haec: κατασκευασθέντων δὲ τούτων ἄν τι ἀγγελθῇ ἢ πυρσευθῇ βοηθείας δεόμενον: verba autem ἄν τι ἀγγελθῇ βοηθείας δεόμενον praesertim ad ἡμεροσκόπων, quorum proprium munus hoc est, signa sunt referenda: ex eo ipso sequitur, ut prius ἡμερόσκοποι in stationibus suis collocati esse debeant, quam hostes transgrediantur fines.

Recte nos, perperam Mosbachium de cap. VI iudicare, eo quoque evincitur, quod insequentis cap. VII initium hoc est: ὅταν δὲ ἡ χώρα ἐγκάρπως διακέηται, μὴ πόῤῥω ὄντων τῶν πολεμίων, εἰκὸς πολλοὺς τῶν ἐν τῇ πόλει περὶ τοὺς ἐγγὺς χώρους διατελεῖν, γλιχομένους τοῦ καρποῦ. τούτους δ'οὖν εἰς τὴν πόλιν ἀθροίζειν ὧδε χρή. Nam ad voces μὴ πόῤῥω supplendas esse illas τῆς χώρας, non minus apertum est quam in enuntiato πολλοὺς τῶν ἐν τῇ πόλει περὶ τοὺς ἐγγὺς χώρους διατελεῖν ad illa τοὺς ἐγγὺς χώρους mente addendum esse τῆς πόλεως. Elucet igitur hostes nondum in fines urbis irrupisse, sed appropinquare tantum, quo tempore Aeneas iubet eos, qui frugum reportandarum causa in agris versentur, colligi. Ita autem colligi illos iubet, ut sub solis occasum signum redeundi in urbem iis detur; si longius latiusque per agros dissipati sint, opus esse dicit ὑπὸ διαδεκτήρων σημαίνεσθαι, ut omnes vel quam plurimi colligantur. Optime igitur haec cum antecedente capite cohaerent; capite VI praecipit, ut ἡμερόσκοποι ante urbem in locis editis disponantur, qui nuntient, si qua manus hostium ad fines appropinquet; cap. VII, si hostes appropinquare ad fines nuntientur, ut ii, qui messis faciendae causa in agros egressi sint, sub vesperum revocentur praescribit. Jam sequuntur haec VII, 4: ὡς δὲ δεῖ τούτους γίγνεσθαι καὶ ὡς αἴρειν τοὺς φρυκτούς, ἐν τῇ Παρασκευαστικῇ βίβλῳ τελέως εἴρηται. ὅθεν δεῖ τὴν μάθησιν λαμβάνειν, ἵνα μὴ δὶς περὶ τῶν αὐτῶν γράφειν συμβῇ. Ad quae Mosbachius pag. 10 haec annotat: „Haec verba quid hoc loco sibi velint intellegi nequit. Nam primum quidem pronomen τούτους non habet quo referatur, quare ab Herchero forma ταῦτα posita est, ita tamen ut ne ipsi quidem placeret. Deinde de ignibus significationem facientibus cap. VII omnino nihil dixit Aeneas neque potuit dicere, quoniam faces ante noctem accensae nihil sunt [11]) .... Quod cum ita sit iure meo videor contendisse verba VII, 4, si quidem post § 3 legantur, intellectum habere nullum. Neque tamen statim hinc eo confugiamus, ut Hercherum Hugiumque secuti de eiciendis his verbis cogitemus. Quis enim hoc loco de suo adderet egisse Aeneam in

[11]) Quod Mosbachius verba ὡς αἴρειν τοὺς φρυκτοὺς negat pertinere posse ad VI, 4 ἐὰν δὲ μὴ ὑπάρχωσι τοιοίδε τόποι, ὥστε καὶ εἰς τὴν πόλιν ἀπ' αὐτῶν φαίνεσθαι τὰ σημεῖα, ἄλλους ἐπ' ἄλλοις διαδεκτῆρας εἶναι τῶν αἰρομένων σημείων, οἳ σημανοῦσιν εἰς τὴν πόλιν, quia hemeroscoporum signa non ignibus dari ipsius Aeneae verbis VI, 7 demonstretur, concedo, minus bene me id censuisse (l. l. pag. 90) αἴρειν verbo, quod utroque loco exstat, commotum. Quare vero ad VII, 2 σημαίνεσθαι ὑπὸ διαδεκτήρων referri non possint, me fugit: minime enim oportet, id quod Mosbachius statuit, eos, qui ad messem faciendam longe lateque dispersi sint per agros, eodem modo revocari in urbem, quo ad coenam ire oppidani iubentur, tuba videlicet Mosbachii iudicio. Sed, ut omittam, tubae nullam mentionem fieri in cap. VII, illi, quoniam iam occidit sol, aeque bene revocari possunt ignibus facibusve compluribus locis accensis, quippe quae longo lateque conspiciantur. Nec tamen omnino, sive verba ὡς αἴρειν τοὺς φρυκτοὺς spectant ad illa VII, 2 seu non spectant, ullius momenti est ad quaestionem de § 4 sede diiudicandam. — Quae vero praeterea Mosbachius de πυρσείας usu protulit ex Aeschylo, Herodoto, Polyaeno, aliis petita, supervacanea sunt, quoniam res ipsa per se satis liquet.

alio libello de ignium signis attollendis? Scripsit ea verba Aeneas, sed hoc loco non posuit. Redeas mecum, quaeso, ad finem cap. VI, ubi haec exstant: παραγγέλλεσθαι δὲ τοῖς ἡμεροσκόποις αἴρειν τὰ σύσσημα ἐνίοτε, καθάπερ οἱ πυρσευταὶ τοὺς πυρσούς. Quodsi in eis quae antecedunt ne verbo quidem pyrseutarum mentionem fecit scriptor neque in reliqua libelli parte artem eorum explicavit, aptissimum erat quo loco res pyrseutarum signis similis praeciperetur, eo ad alium libellum delegari in quo materia ista tractata diligentius esset. Quare equidem credo verba VII, 4 post finem cap. VI scripta esse et deinde sua sede mota in falsum eum locum irrepsisse quem adhuc tenuerunt. Quod si recte statuimus, pronomen quoque quod est τοῦτο habet quo referatur, scilicet αἴρειν τὰ σύσσημα: de ignibus vero arte ac ratione tollendis Aeneam in alio quodam libro egisse satis compertum habemus. (Polyb. X, 44).“ — Cui Mosbachii argumentationi assentiremur, si revera demonstrasset, et § 4 post § 3 stare non posse et melius eam explicari positam post VI, 7. Quorum neutrum factum est. Nam primum quidem, cum τούτους vocem mendosam esse luce fere sit clarius, — ipse Mosbachius τοῦτο corrigi vult — si cum Herchero scribimus ταῦτα vel melius forsitan ταῦτα πάντα (cf. VIII, 5), apte § 4 cum § 3 coniungitur: recte enim iam Hercherus, cum ταῦτα vel πάντα scribendum proponeret, perspexisse videtur, prima § 4 verba spectare non tantum ad § 3 praecepta, sed ad omnia, quae inde a cap. VI de signis dandis dicta sunt. Deinde num melius in fine cap. VI verba VII, 4 ponuntur? Quae VI, 7 extr. exstant: παραγγέλλεσθαι δὲ τοῖς ἡμεροσκόποις αἴρειν τὰ σύσσημα ἐνίοτε, καθάπερ οἱ πυρσευταὶ τοὺς πυρσούς, minime ita comparata sunt, quibus poscatur, ut eius libri, ubi de πυρσείας ratione exposuit scriptor, ibidem mentio fiat: nihil enim inest in illis verbis nisi hoc: iubendi sunt hemeroscopi interdum signa tollere quomodo constat (καθάπερ) a pyrseutis quoque faces interdum tolli: simpliciter igitur Aeneas signa facesque tollenda inter se comparat. De praecepto autem ad πυρσείας rationem referendo ne cogitari quidem posse, ipsa Aeneae verba luculenter ostendunt, qui, si quid de πυρσείᾳ praecipere voluisset, profecto scripsisset: καθάπερ τοῖς πυρσευταῖς τοὺς πυρσούς. Nec denique quisquam probaverit, melius se habere VII, 4 verba, quibus Aeneas, quo loco de πυρσείας ratione praeceperit, profitetur, in fine eius cap., quod est de ἡμεροσκόποις, quippe qui nunquam facibus ignibusque ad significandum utantur, quam in exeunte cap. VII, ubi de iis signis exponitur, quae ad colligendos eos, qui per agros dispersi vagantur, sub vesperum danda sunt, quem in rerum conexum optime φρυκτῶν mentio quadrat. — Qua autem de causa Mosbachius primas tres §§ cap. VII censeat alienas esse ab eo tempore, ubi hostes fines urbis nondum transgressi sint, neque ipse docet neque equidem video.

Cap. VIII Aeneas praecipit, quae iis, qui timeant, ne magnus hostium exercitus bellum sibi inferat, sint praeparanda, ut quam maxime hostes impediantur, quominus et irrumpant in agros et ad urbem appropinquent et diutius in terra remaneant. Quae praecepta cum appareat spectare ad eos cives, quorum in agris hostes nondum versantur, Mosbachius, quia falso sibi persuasit, capp. IV—VII ad contrariam rerum condicionem referenda esse, minime cohaerere contendit cum antecedentibus. Sed quoniam supra iam demonstravimus, capp. IV—VII prorsus ad eandem rerum condicionem pertinere, restat, ut de uno novo Mosbachii argumento loquamur, petito ex primis verbis μετὰ δὲ ταῦτα. Dicit enim pag. 12: „Credemusne Aeneam iussisse sub noctem cives ad vastandos agros urbe proficisci? Non metuo ne hoc cuiquam persuadeatur. An postquam urbis portae intentius custodiri coeptae stationesque ante urbem locis editis dispositae sunt, tum tempus est agros vastandi? Nolimus abire in Hugii sententiam, qui hoc ita suasisse Aeneam putat.“ — Arbitratur igitur Mosbachius voces μετὰ δὲ ταῦτα non nisi ad extrema cap. VII verba

spectare, quod sane ineptum esset. Sed multo rectius ad omnia ea VII capita, quae praecedunt, referuntur, ita ut haec evadat sententia: quibus bellum imminet civibus, ea facienda sunt, quae primis VII capitibus praecipiuntur; his provisis, si maior exercitus hostium appropinquat, etiam ipsa terra vastanda et quam maxime obstruenda est. Quod si cui minus placuerit, videat, num melius voces *μετὰ δὲ ταῦτα* item explicet ac X, 20 adhibentur, ita ut simpliciter sint = *ἔπειτα* (vernacula: ferner), nulla ratione habita, utrum ea, quae antecedunt, priore tempore fiant necne. Utut statues, minime pro ineptis illa haberi licebit.

Praeterea Mosbachius de cap. VIII dicit pag. 13: „Quamquam quae propria fuerit eius sedes nondum perspicimus, illud tamen certum est cap. VIII partem fuisse disputationis, qua regionis urbis ratione habita quibus modis adversus hostium irruptionem aut providendum aut occurrendum esset explicaretur. Atque hanc primam vel priorem fuisse particulam eiusmodi disputationis inde elucet, quod initio scriptum videmus: *πρῶτον μὲν τὴν χώραν δυςείςβολον τοῖς πολεμίοις — κατασκευάζειν*. Quare miramur quod aliud vel alterum praeceptum sequitur nullum neque quidquam in cap. IX eis quae ante dicta sunt respondet.“ — Sed miror, hoc argumentum proferri ab eo, qui ipse in pag. 10 annot. dixerit: „Ceterum in rebus enumerandis non satis diligentem fuisse Aeneam demonstrant verba XXIX, 4 (*τρόπῳ τοιῷδε. πρῶτον μέν*) et XXXII, 1 (*ὧδε. πρῶτον μέν* ...), ubi illi *πρῶτον* aliud adverbium respondet nullum“; quibus locis equidem e. gr. adiciam III, 4; IV, 5; X, 20, ubi eadem neglegentia reperitur. Accedit, quod in cap. VIII Aeneas statim post § primam praecipere desinit, atque quomodo et terra, fluvii, portus obstruenda et, quae in agris relicta sint, perdenda et quomodo aqua inutilis ad bibendum efficienda et loca ad equitandum apta quomodo equis inutilia reddenda sint, ne hostes irrumpere in terram neve remanere possint, de his omnibus rebus se egisse *ἐν τῇ Παρασκευαστικῇ βίβλῳ* profitetur: iam igitur inde a § 2 usque ad finem capitis sequitur ea, quam Mosbachius desiderat, enumeratio, forma tantum praecepti omissa.

Octavum et nonum caput quomodo cohaereant, ex ipsa praeceptorum ratione elucet. Octavum enim spectat ad hostes, quibus in animo est maiore exercitu et irrumpere in terram et diutius remanere: quod nisi ita se haberet, quae § 3—4 exstant, explicari non possent. Nam maximum atque periculosissimum bellum civibus imminere apparet, qui iubeantur non tantum flumina, portus, omnes denique aditus obstruere, sed etiam agros vastare, quae relicta sint frumenta, ipsam messem perdere etc. etc. Contra cap. IX Aeneas praecipit, quomodo subitus aliquis atque audax hostium impetus arceatur: si enim in animo sit hostibus subito nocturno impetu facto in agros irrumpere vel ipsam urbem opprimere — nam de diurno neque cogitari potest propter § 1 verba *ὅταν νυκτὸς σημήνῃ τῇ σάλπιγγι* nec, dummodo hemeroscopi constituti sint, fieri potest, ut interdiu hostes ex improviso aggrediantur urbem — imperator cum idonea ad arcendos hostes loca suae terrae occupare iubetur tum edicere in contione, quoniam periculum immineat, quo quisque signo nocte dato armatus paratusque ad pugnandum venire debeat. Quo facto facile evenire posse, ut hostes, ubi consilia sua detecta paratosque ad defendendum esse oppidanos compererint, ab incepto suo desistant.

Cap. VIII et IX qui sit conexus, ut Hugium, ita Mosbachium fugit. Nam ille [12]) iisdem fere de causis delendum, quibus hic transponendum cap. IX censet. Haec vero argumenta Mosbachius profert pag. 13—14: „Illa hostium audacia de subitis in muros faciendis impetibus dici

[12]) cf. Hugii proll. critt. pag. 14—15; ann. phill. l. l. pag. 250—52 cum iis, quae exposui l. l. pag. 115—117.

non potest, quoniam nisi aliquantum a muris hostes absunt fieri non potest quod iubet § 1 *σώμασι τόπους τινὰς τῆς οἰκείας χώρας καταλαβεῖν*. Nihilo tamen magis de repentinis hostium incursionibus, quas domo proficiscentes faciant, hoc loco cogitandum est (Langius p. 116); nam, ut alia omittam, illud quod initio capitis legitur *ἂν δὲ θρασύνεσθαί τι ἐπιχειρῶσιν οἱ ἐπιόντες πρός σε* dici non potuit nisi de hostibus qui advenientes gradatimque ad urbem appropinquantes audaciae suae indulgeant. Quodsi hoc capite hostes iam petulantius se gerere, octavo exspectari tantum dicuntur, et illa quae supra de cap. VIII falsa sede disputavimus magis confirmantur et de ipsius cap. IX loco aliqua oritur suspicio. Atque si prima insequentis capitis verba legerimus: *δεῖ δὲ καὶ τάδε παρηγγέλθαι. τῶν πολιτῶν τοὺς κεκτημένους ζεύγη ἢ ἀνδράποδα ὑπεκτίθεσθαι εἰς τοὺς προςοίκους, ὡς οὐκ εἰςαξόντων εἰς τὴν πόλιν. κ. τ. λ.*, unde hostes nondum advenisse elucet, et si reliqua eius capitis praecepta perlustraverimus, quae hostibus prorsus neglectis cives tantum spectant: statim apparebit, opinor, cap. IX a scriptore non magis cum cap. X coniunctum esse quam post cap. VIII eius locum fuisse vidimus.“ — Sed primum quidem, ut hoc statim praemoneam, ipse l. l. pag. 115 dixeram: „*θρασύνεσθαι ἐπιχειρεῖν* nihil aliud significat quam, ut Koechlyi versione utar „einen kecken handstreich wagen wollen“, hoc est vel in agros vel in urbem ipsam irrumpere subito nocturno impetu“. Et *ἐπιχειρεῖν* verbum cum infin. coniunctum sescenties ita adhiberi constat, ut significet: moliri, in animo habere [13]). Deinde, cum Mosbachius verba *θρασύνεσθαι ἐπιχειρῶσιν* nec ad subitum impetum in urbem faciendum neque ad repentinam incursionem spectare putet, quid tandem in iis latere arbitratur? Nam alterumutrum statui debet, qui est rerum conexus. De hostibus autem „petulantius se gerentibus“ XXXIX, 6—8 demum Aeneas verba facit: de iis igitur nequit cogitari in cap. IX [14]). Quod vero verbis *οἱ ἐπιόντες πρός σε* nisus hostes

[13]) Minime igitur supervacaneum in Koechlyi versione est illud „wollen“, ut Hugius contendit l. l. pag. 251.

[14]) Similiter Hugius errat, quod ibidem dicit: „Ein hauptbedenken war, dass die erwähnung eines solchen kecken handstreichs auf die stadt selbst bei der ganzen successiv und chronologisch vorschreitenden disposition dieses tractates noch nicht hierher passe, sondern erst in die späteren cap. gehören würde (vgl. z. b. 39,6 *ἤδη δέ τινες τοῖς θρασυνομένοις τε λίαν καὶ προςπελάζουσι τῷ τείχει*), dass aber auch das frühere stadium plötzlicher einfälle in das land und ihrer abwehr durch *βοήθειαι* erst in c. 15 behandelt werde.“ Sed cap. IX ad improvisam incursionem hostium, subitum audacemque totius exercitus impetum pertinet, cum cap. XXXIX, 6 *ἤδη δέ τινες τοῖς θρασυνομένοις τε λίαν καὶ προςπελάζουσι τῷ τείχει ἐγγυτέρω τοῦ προςήκοντος νυκτὸς ἢ μεθ' ἡμέραν βρόχους ... κρυφαίους κατεσκεύασαν, οἷς τὸν εἰςπεσόντα ἀνέσπασαν*, ad singulorum militum eius exercitus, qui iandudum oppidum obsidere coepit, nimiam temeritatem spectare ipsis verbis luculentissime demonstretur. Nec cap. XV eadem est rerum condicio quae cap. IX: illic Aeneas de auxilio iis terrae partibus ferendo praecipit, quae ab hostibus subita irruptione facta diripiuntur, hic, quomodo cavendum sit, ne repente hostes in agros irrumpant neve urbem aggrediantur. — Nec rectiora sunt, quae postea ille profert: „... die gemütlichkeit, mit der diesem handstreich, der bereits im thun ist, begegnet wird, ist wahrhaft staunenswert. in einem solchen falle würden doch die bürger oder soldaten sofort auf den bedrohten punkt berufen, um denselben zu verteidigen. statt dessen sollen 1) gewisse punkte (*τόποι τινές*) und zwar wunderbarer weise *τῆς οἰκείας χώρας* (als ob das nicht selbstverständlich wäre) besetzt, 2) nachdem das geschehen, eine *ἐκκλησία* zusammenberufen werden, um die bürger auf die ihnen bevorstehende *πρᾶξις* vorzubereiten und sie aufzufordern, sofern des nachts ein trompetensignal ertönen sollte, mit den waffen an einem bestimmten platze zu erscheinen und dann dem feldherrn zu folgen. man begreift in der that nicht, warum die soldaten bei dem drohenden plötzlichen handstreich nicht jetzt schon vom feldherrn zurückbehalten, sondern noch gemütlich in ihre quartiere entlassen werden.“ — Sed primum quidem minime in eo est, ut hostes iam irruperint in fines urbis: e contrario in sua terra versantur et in animo tantum habent in fines oppidanorum irrumpere vel oppidum opprimere (*ἂν .. ἐπιχειρῶσι θρασύνεσθαι*): cf. quae supra de rerum conexu contra Mosbachium exponuntur. Deinde minime cunctatoris munere fungi iubetur imperator, sed statim loca idonea ad arcendos hostes

iam finem transgressos esse contendit, fallitur: quis enim negabit, melius *ἐπιόντες* illud ad terram, ad quam appropinquant, quam ad urbem referri, quoniam non nisi de exspectanda hostium incursione et antecedentibus capp. egerat scriptor et sequentibus agere pergit? Ac nonne eadem rerum condicio his verbis *οἱ ἐπιόντες πρός σε* significatur, quae X, 23 illis *ὅταν ἐπ' αὐτὴν* (sc. *τὴν πόλιν*) *στρατεία γίγνηται*? Capitis X autem praecepta ipse Mosbachius ad id tempus refert, quo hostes nondum intra urbis fines versantur. Atque ipsa verba *σώμασι τόπους τινὰς τῆς οἰκείας χώρας καταλαβεῖν* eandem hic rerum condicionem esse ostendunt: plane enim supervacaneum esset illud *οἰκείας*, si hostes iam in urbis fines irrupissent: quis enim tum de alius terrae locis occupandis cogitaret? Praeterea illud non est praetermittendum, quod Aeneae commentarius minus ad magnas urbes defendendas quam ad oppida tuenda spectat: poterant igitur hostes, etiamsi antea in suis finibus versabantur, ea nocte, quam constituerant, statim oppidum ipsum aggredi, sicut Thebani quoque ex improviso II. 3—7 Plataeenses oppressisse narrantur. Recte autem nos statuere, hostes etiamtum in suis finibus versari, et § 2 verbis *διαγγελθέντων οὖν τούτων εἰς τὸ στρατόπεδον τῶν πολεμίων ἢ τὴν πόλιν* demonstratur, et luculentissime § 3, sive Aeneae est sive ab interpolatore addita, id quod equidem statui l. l. pag. 117: sive enim Aeneas scripsit verba *τούτων δὲ οὕτω πραχθέντων τοῖς μὲν φιλίοις θάρσος ἐμποιήσεις, ὥστε ἐπιχειρεῖν τοῖς δὲ πολεμίοις φόβον ἐμπαρασκευάσεις, ὥστε ἐπὶ τῆς αὐτῶν ἠρεμεῖν*, ipse profecto hostes in suis finibus versari profitetur, quo tempore oppidanos ea facere iubeat, quae cap. IX praecipit; sive interpolator scripsit, gravissimum testimonium exstat, cap. IX iam antiquissimis temporibus, quibus ab interpolatore illo commentar. poliorc. legebatur, positum fuisse inter ea capita, quibus de hostibus fines nondum transgressis, sed transgressuris agitur [15]). — Quoniam igitur sat multis demonstravimus, recte in hoc rerum conexu cap. IX praecepta proferri, id unum liceat addere, apte quoque hoc cum insequente cap. coniunctum esse verbis X, 1 *δεῖ δὲ καὶ τάδε παρηγγέλθαι*, quae

---

capere (*πρῶτον μὲν χρὴ σώμασι τόπους τινὰς τῆς οἰκείας χώρας καταλαβεῖν*): statim igitur altera pars militum retinetur educiturque ad loca illa capienda, altera tantum, quae superest, nocte signo dato convenire iubetur. Neque est, cur idem Hugius miretur Aeneam praecipere, ut oppidani suae terrae loca capiant, qui ipse in libelli, qui inscribitur „Aeneas von Stymphalos etc.", pag. 22 recte dixerit, saepius Aeneam praescribere, quae per se ipsa sint manifesta. Accedit vero, quod hic in sua terra etiamtum versantur hostes. Quod praeterea Hugius in eo haeret, quod cives nocte convenire iubeantur, neque de hac re ei videtur assentiendum esse: cum enim interdiu procul iam hostium copiae appropinquantes ex urbe conspici possint, quin etiam, si ea, quam Aeneas cap. VI commendat, cautione dux civium usus est hemeroscopis in editis terrae locis collocatis, iam ad finem accedentes ab hemeroscopis videri statimque oppidani de imminente periculo certiores fieri possint, veri est simillimum hostes, sicut Thebanos II, 3—7, noctem electuros esse ad subitum illum audacemque impetum faciendum. — In eundem denique errorem, in quem iam proll. critt. pag. 14—15, iterum incidit Hugius, cum dicit: „das ganze cap. aber hat keinen anderen zweck als zu beweisen, welche wunder eine wol angebrachte contio auf freund und feind zu wirken im stande sei." Nam praeterquam quod nulla omnino speciosae orationis mentio fit, sed edicere tantum iubetur imperator locis idoneis ad arcendos hostes antea captis, et quae cuique alia facienda sint, et ut omnis iuventus nocte signo dato in locum constitutum armata conveniat, minime ineptum esse hoc praeceptum narratione simillima XI, 8 docetur.

[15]) Quae Mosbachius pag. 14—15 de eicienda § 3 profert, nova non sunt, sed a me iam l. l. pag. 117 exposita. Ineptum vero esse, quod eiectis verbis *τὸ στρατόπεδον τῶν πολεμίων* § 2 sic scribendam proponit: *διαγγελθέντων οὖν τούτων εἰς τὴν πόλιν δύνανται* [*καὶ οἱ ἐναντίοι*] *ἀποτρέπεσθαι* (hoc quoque a me mutuatus est; Med. *ἀποτρέψαι*), *ὧν ἂν ἐπιχειρῶσι πράττειν*, ipso rerum conexu satis ostenditur. Aeneas verba *εἰς τὴν πόλιν* ad hostium, non civium, urbem pertinere voluit, cum scriberet *εἰς τὸ στρατόπεδον τῶν πολεμίων ἢ τὴν πόλιν*.

ipsa ostendunt, alia iam antea commemorata fuisse *παραγγέλματα*: spectant enim ad IX, 1 verba *ἐκκλησιάσαντα τοὺς σεαυτοῦ στρατιώτας ἢ πολίτας ἄλλα τε προειπεῖν αὐτοῖς . . . καὶ ὅταν νυκτὸς σημήνῃ τῇ σάλπιγγι, ἑτοίμους εἶναι τοὺς ἐν τῇ ἡλικίᾳ ἀναλαβόντας τε τὰ ὅπλα καὶ ἀθροισθέντας εἰς χωρίον ῥητὸν ἕπεσθαι τῷ ἡγουμένῳ.*

Jam Aeneas postquam primis novem capitibus praecepit, quae ad dividendas disponendasque copias, ad urbis loca praeparanda, ad signa constituenda, ad portarum custodes et *ἡμεροσκόπους* eligendos, ad eos cives, qui messis faciendae causa egressi sunt, sub solis occasum in urbem revocandos, ad terram maiore bello imminente obstruendam et vastandam, denique ad subitos nocturnos impetus evitandos spectant, ad alteram prioris partis libelli particulam transit, capp. X—XIV, quam instituit de disciplina publica gravius severiusque periculosioribus temporibus exercenda deque fraudibus eorum, qui in urbe novis rebus student, prohibendis. Haec omnia praecepta referenda sunt ad id tempus, quo hostes exspectantur, nondum fines transgressi sunt. Apte igitur cum iis, quae antecedunt, quoniam ad eandem rerum condicionem spectant, cohaerent.

Sed convertamur iam ad cap. X. Ubi Aeneas edici iubet, ut cives sua ex agris in urbem conferant, mancipia autem et iumenta ad vicinos populos transportent, ne inutilis hominum iumentorumque multitudo confluat in urbem, cui obsidio imminet. Multa deinde sequuntur, quae pertinent ad terrendos eos cives, qui rerum novarum cupidi civibus insidiantur aut conspirant cum hoste: ne usquam conventus secreti, ne convivia fiant, ne quis cum exsulibus conveniat neve epistulas ab illis accipiat; ut eligantur, qui omnes epistulas, sive ex urbe seu in urbem mittantur, inspiciant; ne quis arma importet neve milites conducat neve ipse mercede conducatur; ut peregrini, qui in oppidum veniant, arma manifesto ferant statimque iis priventur; ne peregrini insciis magistratibus a quoquam excipiantur, ne a cauponibus quidem; ne cui liceat colloqui cum aliarum gentium legatis, qui in urbe versentur, nisi iis ac fidissimis quidem civium, qui iussi sint a magistratu semper cum legatis versari; alia praeterea multa, quae enumerare longum est, quae ad disciplinam publicam periculosis illis temporibus exercendam urbemque ita custodiendam, quasi iam obsideatur, spectant (ut vernacula summam totius cap. comprehendam: vorschriften über verproviantierung der stadt und verhängung des belagerungszustandes).

Quoniam supra iam edocui, minus bene Mosbachium iudicare, cap. X cum IX nec apte cohaerere nec coniunctum esse ab Aenea, iam venio ad ea quae dicit, ut demonstret, neque post cap. VIII cap. X locum habere posse, sed ante illud poni debere, pag. 23 (nam priusquam de cap. X agit, de capp. XV—XVII verba facit): „Cum cap. VIII . . . capitis X praecepta ullam habere societatem fidenter ideo negandum est, quod qui iusserit VIII, 4 *τά τε βρωτὰ καὶ ποτὰ καὶ τὰ κατ' ἀγροὺς ἔγκαρπα — ἀχρεῖα ποιεῖν ἢ ἀφανίζειν*, is paucis versibus interpositis non potuit dicere X, 3 *ἔπειτα . . καταχομίζειν τοὺς καρποὺς εἰς τὴν πόλιν, τοῦ δὲ ἀνηκουστοῦντος ἐξουσίαν εἶναι τῷ βουλομένῳ ἀζήμια ἄγειν καὶ φέρειν τὰ ἐκ τῆς χώρας*. Quales enim fructus petuntur ex agris eo quo cap. VIII dictum vidimus modo devastatis?" — Quod argumentum haud multum valere ipsis cap. VIII verbis docetur: *τά τε καταλιμπανόμενα μὲν ἐν τῇ χώρᾳ ἀκουσίως, εἰς χρείαν δὲ φέροντα τοῖς ἐναντίοις, οἷον τὰ πρὸς τειχοποιίαν ἢ σκηνοποιίαν ἢ ἄλλην τινὰ πρᾶξιν, τά τε βρωτὰ καὶ ποτὰ καὶ τὰ κατ' ἀγροὺς ἔγκαρπα ὡς δεῖ ἀχρεῖα ποιεῖν ἢ ἀφανίζειν.* Quorum quae maximi momenti sunt, *τὰ καταλιμπανόμενα ἀκουσίως*, plane neglexit Mosbachius: nam illo loco Aeneas de iis tantum perdendis et inutilibus reddendis loquitur, quae oppidani necessitate coacti atque inviti in agris relinquunt maiore hostium exercitu appropinquante. Minime igitur verba VIII, 3—4 et X, 3

inter se repugnant, sed optime consentiunt. Quin etiam Mosbachius hoc argumento usus sua ipse vineta caedit: ipse enim pag. 47 cap. XVI §§ 1—15 statim post cap. VIII ponendas proposuit, quibus §§ Aeneas praecipit, quomodo, si hostes ad agros diripiendos irruperint, rusticanis optime succurrendum sit: quid enim Mosbachius hostes agere et ferre putat „ex agris eo quo cap. VIII dictum vidimus modo devastatis". Omnino vero Aeneas cap. VIII praecepta non adhiberi vult nisi gravissimo bello imminente, maiore hostium exercitu appropinquante: quod nisi ita se haberet, nec cap. XV nec cap. XVI post illa proferre potuisset.

Quamquam autem de sede cap. X constituenda a vero Mosbachius aberravit, recte tamen perspexit, singula eiusdem cap. praecepta non eo ordine ab Aenea posita fuisse, quo tradita sunt in cod. Med., etsi ipse non vidit, qui rerum ordo statuendus sit. Sed inspiciamus iam singula. Cum Aeneas § 1—2 praecepisset, ut cives, qui mancipia et iumenta possiderent, ea furtim ad populos finitimos traducerent, ne in oppidum introducerentur; quibus vero non essent hospites, apud quos illa collocarent, ut eorum mancipia et iumenta ab ipsis magistratibus apud gentes finitimas collocarentur, § 3 haec exstant: *ἔπειτα κηρύγματα ποιεῖσθαι τοιάδε διά τινος χρόνου, φόβου καὶ ἀποτροπῆς τῶν ἐπιβουλευόντων ἕνεκα. κατακομίζειν τὰ ἐλεύθερα σώματα καὶ τοὺς καρποὺς εἰς τὴν πόλιν, τοῦ δὲ ἀνηκουστοῦντος ἐξουσίαν εἶναι τῷ βουλομένῳ ἀζήμια ἄγειν καὶ φέρειν τὰ ἐκ τῆς χώρας.* Sed quid, quaero, fruges quod in urbem comportari iubentur, facit ad eos, qui novis rebus student, terrendos? Nullus plane sententiae conexus est inter duo illa enuntiata. Contra alterum enuntiatum artissime cohaeret cum § 1—2, quoniam verba *κατακομίζειν* (*δὲ* excidit) *τὰ ἐλεύθερα σώματα . . . εἰς τὴν πόλιν* opposita sunt illis *ζεύγη ἢ ἀνδράποδα ὑπεκτίθεσθαι εἰς τοὺς προσοίκους* (liberi omnes cives in urbem convenire iubentur, ut eam defendant, cum mancipia inutilia ad defendendam urbem, ne fames oriatur obsidionis tempore, extra fines apud gentes finitimas collocanda sint). Prius vero enuntiatum artissime cohaeret cum § 4: nam inde a § 4 sequuntur ea, quae ad terrendos insidiatores Aeneas edici iubet, inepte a verbis *ἔπειτα κηρύγματα ποιεῖσθαι κ. τ. λ.* divulsa interpositis illis *κατακομίζειν — τὰ ἐκ τῆς χώρας*. Procul dubio igitur, ut conectantur, quae conectenda sunt, haec verba *κατακομίζειν — τὰ ἐκ τῆς χώρας* post § 2, illa *ἔπειτα — ἕνεκα* ante ipsam § 4 transponenda sunt, modo ne putaveris, iam omnia inde a § 1 usque ad § 4 correcta esse. Nam post illud enuntiatum *κατακομίζειν — τὰ ἐκ τῆς χώρας* statim inserendam esse § 12 *καὶ ὧν ἂν σπανίζῃ ἡ πόλις, σίτου ἢ ἐλαίου ἢ ἄλλου τινός, τῷ εἰσάγοντι κατὰ πλῆθος τῶν εἰσαγομένων τόκους προκεῖσθαι καὶ στέφανον δίδοσθαι εἰς τιμήν, τῷ δὲ ναυκλήρῳ ἀνολκὴν καὶ καθολκήν*, tibi persuadebis, ubi consideraveris, cum § 3 verbis laudatis aeque ac § 12 agi de frumentis cibisque in urbem comportandis, tum § 12 nullo modo ferri posse eo, quo tradita est, loco inter § 11 et 13: nam §§ 9—11 Aeneas de *ξένοις* loquitur, quomodo custodiendi sint, sive privati negotiorum conficiendorum causa sive legati a gentibus externis missi in urbe versentur (*ἐνδημῶσιν*); § 13 deinde sic incipit: *ἐξοπλισίας τε πυκνὰς ποιεῖσθαι καὶ ξένους τοὺς ἐνδήμους τὸν καιρὸν τοῦτον μεθίστασθαι εἰς χωρίον ῥητόν*: quid igitur inter illas §§ 9—11 et hanc 13 sibi vult § 12 praeceptum de frumento, oleo, aliis importandis datum? Neque ullo alio loco totius cap. § 12 apta est nisi post illud ipsum enuntiatum *κατακομίζειν — τὰ ἐκ τῆς χώρας*, de quo supra exposuimus, posita.

Atque haec quidem neglexit Mosbachius, cum orationem usque ad § 6 mediam „belle currere" pag. 24 dicat: alia vero minus bene se habere putat; cf. ipsius verba: „At quae inde a media § 6 usque ad 15 in. leguntur, ea non possum a me impetrare, ut argumenti communitate

cum antecedentibus coniuncta credam. An praecones unquam praedicasse opinaris hoc: *τῶν ἐκπεμπομένων καὶ εἰσαγομένων ἐπιστολῶν εἶναι ἐπισκόπους*? vel hoc: *τὰς νύκτας ὑπὸ τῶν ἀρχόντων τὰ πανδοκεῖα ἔξωθεν κλείεσθαι*? vel alia id genus? Sed ut insint in his §§ nonnulla quae possunt praeconio oppidanis edicta putari (veluti § 7 *στρατιώτας μὴ μισθοῦσθαι μηδὲ ἑαυτὸν μισθοῦν ἄνευ τῶν ἀρχόντων*), tamen non sunt talia ut in fugitivis valeant." — At quisquis accuratius inspexerit illas §§ 6—15, eum non puto esse negaturum, quin universe contineant talia, quae publice edicantur a magistratu, paucis additis, quae ad easdem, de quibus agitur, res pertinent, ipso sententiarum conexu monente (e. gr. § 11, quamquam etiam haec publice edici potuit). Minime vero omnia illa edicta ad „fugitivos" referenda [16]) esse, sed tantum § 5 alteram, § 6 priorem partem luce fere est clarius. Quare inepta et futilia ea quoque sunt, quae sequuntur apud Mosbachium: „Ita igitur, inquies, res comparata est, ut §§ 3—5 med. ea *κηρύγματα* contineantur, quae facere iubet *διά τινος χρόνου φόβου καὶ ἀποτροπῆς τῶν ἐπιβουλευόντων ἕνεκα*, iam inde a media § 5 proferantur ea quae *ἐπικηρύσσειν* iubet *ἐὰν ὦσι φυγάδες*, tum vero inde a § 6 med. subsequantur praecepta quaedam quibus saluti civium et securitati urbis consulatur. Ferremus hoc, statueremus § 6 med. progressum aliquem fieri orationis, ut praeter ea quae omnium oppidanorum interesset scire etiam pauciorum quorundam civium atque magistratuum officia proferrentur, nisi inde a § 15 continuatam videremus expositionem de edictis publice nuntiatis." — Sed primum quidem omnia §§ 3—15 (exceptis iis, quae falso loco posita esse supra monstravimus) *κηρύγματα* ad terrendos eos, qui civibus insidiantur, spectant aeque ac sequentes §§. Deinde „expositio de edictis publice nuntiatis" minime post § 6 mediam interrumpitur, sed ipsis sequentibus §§ continuatur. Quibus de causis Mosbachio, qui §§ 6 med. — 15 in. post § 26 collocari vult, assentiri non possum, sed quo loco §§ illae traditae sunt, eo eas retinendas censeo, cum optime in rerum conexum quadrent. Ceterum quod Mosbachius, quo magis nobis sententiam suam probet, pag. 26 adicit: „Meminerimus hoc loco eorum quae de §§ 6—15 supra disputavimus, quibus §§ doceri vidimus quibus modis urbis securitati consulendum esset: iam apparebit has duas partes (20—26; 6—15) quasi cognatione aliqua inter se contineri", non minus a vero aberrat. Quasi non omnia, quae inde a § 4 praecipiuntur, ad urbis securitatem spectent! Contra tantum abest, ut rectum viderit Mosbachius, ut coniunxerit, quae coniungi nequeant, § 25 med. —26 cum iis, quae antecedunt §§. Cum enim inde a § 23—25 med. Aeneas parentes vel propinquos obsidum hostibus datorum, quando hostes ad urbem appropinquarent, aut removeri ex urbe iussisset, donec finita esset obsidio, aut certe, quam maxime fieri posset, custodiri, ne suorum amore inducti hostibus urbem proderent, subito § 25 med. haecce sequuntur [17]): *ἔτι τοίνυν μήτε εἰς τὰς ἐκκοιτίας λαμπτῆρας ἐπιφέρεσθαι μήτε ἄλλο νυκτερινὸν φέγγος· ἤδη γάρ τινες, ἐπεὶ πάντῃ ἐξείργοντο, μήτε νεωτερίσαι ἔχοντες μήτε πρὸς τοὺς πολεμίους τι πρᾶξαι, τοιόνδε ἐτέχνασαν.* 26. *ἐν γὰρ τοῖς καλάθοις καὶ στρώμασιν ἐπιφερόμενοι εἰς τὰς φυλακὰς λύχνα, οἱ δὲ δᾷδας, οἱ δὲ λαμπτῆρας, διὰ τούτων τῶν φεγγῶν σύσσημα ἐποιήσαντο.* Sed quidnam huic praecepto de lanternis ferendis commune est cum illis de parentum propinquorumque obsidum fraudibus evitandis?

---

16) Verba § 5 *ἐὰν δὲ ὦσι φυγάδες, ἐπικηρύσσειν, ὃς ἂν ἀστῶν ἢ ξένων ἢ δούλων ἀποκινῇ. ἃ ἑκάστῳ τούτων ἔσται* ibi, ubi exstant, retinenda esse iam l. l. pag. 159 annot. 146 dixeram: neque enim divelli possunt ab insequente enuntiato, quod ipsum cum eo, quod deinde sequitur, cohaeret.

17) His praeceptis non repugnare, quod e contrario XXII, 21 vigiles noctu in stationibus lanternis uti iubentur, eiusdem § verba *ἐν ὁμονοοῦσι δὲ καὶ μηδενὸς ὑπόπτου ὄντος* demonstrant: nam cap. X praecepta inde a § 3 (4) dantur *φόβου καὶ ἀποτροπῆς τῶν ἐπιβουλευόντων ἕνεκα*.

An revera quis contenderit hosce unos vetari lanternas ferre? Accedit, quod ipsis vocibus in initio positis ἔτι τοίνυν postulatur, ut iam in iis, quae praecedunt, de eadem re actum sit, simulque docetur, ibi illa verba ponenda esse, ubi de lanternis ferendis agitur. Procul dubio igitur reponenda sunt post § 14 verbum κατασβέννυσθαι: ac recte ibi ea reponi. eo ostenditur, quod demum repositis verbis ἔτι τοίνυν — ἐποιήσαντο satis explicari possunt § 14 vocabula καὶ τῶν ἄλλων μηδένα ἔτι προιέναι: qui enim essent οἱ ἄλλοι, adhuc non patebat; contra praemissis §§ 25 med. —26 satis apparet, eos intellegi, quibus vigiliae non sint agendae.

Sic igitur, ut paucis repetam, quid de cap. X sentiam, singulas §§ ordinandas censeo:

1) § 1—2, deinde § 3 verba κατακομίζειν τὰ ἐλεύθερα σώματα — τὰ ἐκ τῆς χώρας, tum § 12 (de iumentis servisque apud finitimas gentes collocandis, quando urbi obsidio imminet, de liberis incolis in urbem deducendis, de frumentis ante obsidionem importandis).

2) § 3 in. ἔπειτα κηρύγματα — ἕνεκα, deinde statim § 4—14 (praeter § 12); tum post § 14 vocabulum κατασβέννυσθαι ea, de quibus modo egimus, § 25 med. —26 (ἔτι τοίνυν — σύσσημα ἐποιήσαντο); porro § 14 extr. — 25 med. eo, quo in cod. exhibentur, ordine. (de disciplina publica temporibus periculosioribus severius exercenda.)

Cap. XI Aeneas unum praeceptum dat: ἔτι δὲ καὶ τῶν πολιτῶν τοῖς δὴ (cod. Med. δεῖ: cf. l. l. pag. 77) ἀντιπροθυμουμένοις προςέχειν τὸν νοῦν καὶ μηδὲν εὐθέως ἀποδέχεσθαι διὰ τάδε, atque compluribus exemplis, quantopere cavendum sit ab insidiis adversariorum, qui ex ipso civium numero sint, exponit. Quod caput ad aliam rerum condicionem spectare atque ea, quae praecedunt, nemo hucusque contendit: ac profecto et ipsum praeceptum et exempla prolata eandem rerum condicionem, ubi exspectatur hostium incursio, hostes nondum in finibus urbis versantur, sat manifesto ostendunt. Mosbachius, qui idem indicat, de cap. XI pag. 28 dicit: „. . . etsi in universum haec bene congruunt cum eis, quae cap. X de securitate urbis facienda exposita sunt, tamen haeremus in ipsa haec capita coniungendi ratione. Nam postquam cap. X fin. verba facta sunt de civibus suspectis, cum stupore aliquo videmus initio capitis XI haec: ἔτι δὲ καὶ τῶν πολιτῶν τοῖς ἀντιπροθυμουμένοις προςέχειν τὸν νοῦν, quae verba ita comparata videntur tamquam si de insidiis aliorum qui non essent cives amovendis nonnulla antecessissent." — Ac recte quidem hoc monet. Cum vero, quo loco cap. XI ponendum sit, non possit diiudicari nisi capitum XII—XVII ordine explorato, iam ad ea transeundum videtur.

Capp. XII—XIII scriptor de sociis et mercennariis agit. Ac primum quidem cap. XII necesse esse dicit, socios in urbem deductos nunquam una versari, sed dissipari simili atque antea exposuerit modo. Quibus verbis μήποτε ἅμα διατελεῖν τοὺς συμμάχους, ἀλλὰ διεσκεδάσθαι ὁμοτρόπως τοῖς προειρημένοις τῶν αὐτῶν ἕνεκεν [18]), Aeneas ad ea delegat, quae de obsidum parentibus custodiendis antea X, 23—25 med. exposuerat: cf. ὡς ἥκιστα ἐπὶ σφῶν αὐτῶν διατελοῦντας et ἔστωσαν δὲ διειλημμένοι. Idem faciendum esse, si mercennarii ad urbem defendendam introducti sint. Semper autem cives plures esse mercennariis oportere, ne hi urbe potiri possint, sicut Chalcedoniis et Heracleotis acciderit.

Cap. XIII deinde hanc rationem mercennariorum alendorum ut tutissimam commendat: ditissimi civium iubentor mercennarios conducere pro suis quisque opibus. Ubi mercennariorum

[18]) Verba sic ponenda esse docui l. l. pag. 78. Spectant vero non tam ad narrationem XI, 8—10 quam ad praeceptum X, 23—25 med.

manus coacta erit, dividendi sunt et unicuique parti unus ex fidissimis civibus praeponendus. Qui vero cives mercennarios conduxerint, iidem illis et mercedem et cibos et domicilium praebento; postea autem ex aerario publico ea, quam ad alendos conducendosque mercennarios impenderint, pecunia iis redditor, deductis iis, quae quisque tributa solvere debebat. Extrema capitis verba sunt: οὕτω γὰρ ἂν τάχιστά τε καὶ ἀσφαλέστατα καὶ εὐτελέστατα ξενοτροφηθείη.

Jam vero statim cap. XIV insequuntur verba: τοῖς μὲν οὖν ἐν τῇ πόλει ὑπεναντία θέλουσι τοῖς καθεστηκόσι προςφέρεσθαι ὡς προγέγραπται· τὸ δὲ πλῆθος τῶν πολιτῶν εἰς ὁμόνοιάν γε ὡς [ΓΕΩΣ scribendum censeo pro ΤΕΩΣ, quod cod. Med. exhibet] μάλιστα χρὴ προάγειν: praescribit autem Aeneas, ut et pauperes, quacunque re fieri possit, adiuventur et iis, qui aere alieno premantur, aliqua pars usurarum vel omnes usurae remittantur, periculosioribus temporibus etiam aeris alieni pars vel totum aes alienum: nam homines obaeratos eiusmodi temporibus maxime timendos esse. — Ad quod cap. recte Mosbachius annotat pag. 30: „Vides igitur prima illa verba capitis conclusionem facere quorumdam quae antecesserint. Neque tamen cap. XIII hoc modo concludi potuit, quia id suum habere finem supra monuimus neque ibi ulla Aeneas verba fecit de sociis aut mercennariis aperte rerum novarum cupidis (ὑπεναντία θέλουσι). Sed cum cap. XII. XIII illud agatur, ut mercennarii et socii sine ullo periculo urbis arcessantur et intra muros habeantur, hoc quoque loco τοὺς ἐν τῇ πόλει cives dictos esse ratus capiti XIV proxime antecessisse crediderim ea quae de civium suspectorum insidiis evitandis exposita essent, ut capite XIV perpetuarentur capita XI et XVII." (nam Mosbachius cap. XVII, de quo postea agendum erit, post cap. XI ponendum statuit, suo quidem iure: cf. pag. 26 sq.). — Accedit, id quod gravissimum est, quod nusquam ab Aenea voces οἱ ἐν τῇ πόλει ad socios mercennariosve referuntur, sed semper ita usurpantur, ut significent = οἱ πολῖται. Nullo igitur modo cap. XIV post capp. XII et XIII, quae ad socios tantum et mercennarios pertinent, collocatum ferri potest.

Omnia capitum XI—XIV praecepta sicut capitum I—X ad id tempus referenda sunt, quo bellum urbi imminet, hostes in suis finibus versantur, urbis fines nondum transgressi.

Jam cap. XV Aeneas ad alteram commentarii sui partem transit, ubi qua ratione et agri et urbs ab hostibus fines urbis transgressis tuenda sint, exponit. Praecipit autem hoc capite haec fere: Si qua pars terrae ab hostibus incursione facta vexatur, statim illuc succurrendum est. Confestim duces ordinanto eos, qui ad portas concurrunt, ne singuli inordinatique egrediantur ad sua servanda occidanturque ab hostibus. Ubi vero sat magna manus coacta erit, duce prudenti praefecto emittendi sunt et aliae atque aliae deinceps manus educendae, ut aliae alias excipiant continuumque reddatur agmen. Praemittendi sunt equites levisque armaturae milites, qui colles in itinere sitos occupent et, quid hostes agant, explorent, ne quid inopinati reliquis copiis accidat. In itineris vero flexibus, collium ascensibus, deverticulis, triviis signa quaedam constituenda sunt, ne qui posteriores proficiscuntur, ignari, quo priores se converterint, ab illis separentur. Redeuntibus autem in urbem maxime cavendum est, ne in hostium insidias incidant, sicut Abderitas, cum temere reverterentur, a Triballis oppressos esse exemplo probat.

Quo vero modo haec cum antecedentibus capp. conectuntur? An quo spectant prima cap. verba κατασκευασθέντων δὲ τούτων? Mosbachius haec habet pag. 16: „Cohaerere ullo modo cap. XV cum antecedentibus fidenter negabit quicumque ea perlegerit. Neque tamen ei quod iure exspectamus fore ut iam ad novum aliquid progredi orationem significet scriptor, ullo modo respon-

detur. Tantum enim abest, ut prima capitis verba *κατασκευασθέντων δὲ τούτων* eiusmodi transitum faciant, ut contra intellegi non possint; frustra enim in antecedentibus capitibus quaerimus quaenam sint ista quibus comparatis et provisis cives ad opem ferendam urbe exeant: nisi quis hoc consilium fuisse Aeneae credit, ut civibus ad concordiam redactis (cap. XIV) auxilio proficiscendum esse diceret. Ergo eo adducimur, ut ante cap. XV alia atque quae nunc legantur ab Aenea scripta esse statuamus. Et quoniam verba *κατασκευασθέντων δὲ τούτων* satis demonstrant praecessisse quaedam de excursionibus in hostes praeparandis, non dubitamus quin huc referenda sint ea quae cap. IX dicta vidimus. Quae ibi inchoata est disputatio, ea cap. XV ad finem perducitur. Reddamus igitur illis capitibus suam quam requirunt societatem: iam restituetur iusta orationis perpetuitas adhuc foede interrupta." — Sed primum quidem cap. IX non, id quod Mosbachius statuit, ad id tempus, ubi hostes irruperint in fines, referendum esse, sed aeque atque omnia capita I—XIV ad id tempus, ubi bellum immineat necdum illatum sit, supra docui pag. 11—12. Deinde si cap. IX praecepta cum cap. XV contuleris, ne posse quidem ea inter se coniungi intelleges. Nam IX, 1 Aeneas haec duo praescripserat: 1) *πρῶτον μὲν χρὴ σώμασι τόποις τινὰς τῆς οἰκείας χώρας καταλαβεῖν*, quae verba ad loca altiora collesve referenda esse elucet: contra XV, 5 equites ante pedestres copias emitti iubet ad occupanda *τὰ ὑψηλὰ τῶν χωρίων*: colles igitur nondum occupatos esse scriptor sibi fingit, unde apparet verba IX, 1 non posse praecedere paucis interpositis: — 2) *ἔπειτα ἐκκλησιάσαντα τοὺς σεαυτοῦ στρατιώτας ἢ πολίτας ἄλλα τε προειπεῖν αὐτοῖς .... καὶ ὅταν νυκτὸς σημήνῃ τῇ σάλπιγγι ἑτοίμους εἶναι τοὺς ἐν τῇ ἡλικίᾳ, ἀναλαβόντας τε τὰ ὅπλα καὶ ἀθροισθέντας εἰς χωρίον ῥητὸν ἕπεσθαι τῷ ἡγουμένῳ*, quibus repugnat praeceptum XV, 2—3: *τὸν δὲ στρατηγὸν τοὺς παρόντας εὐθὺς συντάττειν, ἵνα μὴ σποράδην καὶ κατ' ὀλίγους ἐξιόντες ἐπὶ τὰ αὐτῶν ἀπολλύωνται δι' ἀταξίαν καὶ κόπον ἄκαιρον .... ἀλλὰ χρὴ τοὺς παραγιγνομένους ἐπὶ τὰς πύλας ἀθροίζεσθαι μέχρι τινὸς πλήθους, ὡς λόχον ἢ διλοχίας κ. τ. λ.* Nam primum quidem quibus civibus iam antea ab imperatore edictum est, ut insequente nocte parati essent ad egrediendum contra hostes, quibus in animo esset subito impetu facto in fines irrumpere vel ipsum oppidum aggredi, eos exspectamus non tam turbatos territosque concurrere, quoniam de imminente periculo iam antea certiores facti sunt, quam XV, 2—3 dicitur; contra ad eum ipsum terrorem tumultumque evitandos IX, 1 praeceptum datur. Nec profecto illi exspectavissent, dum hostes adessent, sed antea iam sua ex agris in oppidum comportassent, in tempore admoniti. Deinde IX, 1 iuvenes iubentur convenire *εἰς χωρίον ῥητόν*, locum antea constitutum, quoniam qua ex parte hostes appropinquaturi essent, imperator comperit: contra XV, 3 nullo ordine ad portas concurrunt, ignari, unde periculum immineat quove proficiscendum sit. Cum igitur cap. IX praeceptorum ratio ipsa demonstret, cives antea de periculo proxima nocte imminente certiores factos esse, e contrario cap. XV praeceptorum ratione ipsa probatur, ex improviso hostes in fines irrumpere, civibus periculi imminentis prorsus ignaris.

Quoniam igitur apparet, capp. IX et XV inter se coniungi non posse, quo spectant verba *κατασκευασθέντων δὲ τούτων*? Aut videtur statuendum esse, illa universe pertinere ad ea, quae primis quattuordecim capp. praescripta sunt, imprimis ad ea, quae de adversariorum fraudibus prohibendis scriptor dixit, quibus provisis timendum non est, ne copiis ex urbe profectis adversarii rerum potiantur, aut excidisse aliqua inter cap. XIV finem et cap. XV in.: saepius vero in cod. Med. lacunas reperiri satis constat [19]).

[19]) Cf. quae dixi l. l. pag. 62.

Venio iam ad cap. XVI [20]), cuius duae sunt partes: prior inde a § 1 usque ad § 15 pertinet, altera a § 16 incipit. Ac priore quidem parte Aeneas — iis, quae ipsi tribuendae videntur, §§ 1;

[20]) Hugius proll. critt. pag. 9 sq. solas §§ 14—18 huius cap. genuinas Aeneae esse, reliquas omnes 1—13; 19—22 ab interpolatore adiectas contendit. Contra ego l. l. pag. 110 sq. §§ 1; 4—6; 11—18 Aeneae attribuendas esse demonstravi. Omnino autem, quod et ad hoc caput et ad alia praecepta militaria et ad narrationes, quae ab interpolatore addita esse Hercherus Hugiusque contendunt, pertinet, equidem non ab axiomate aliquo vel dogmate profectus negavi, usquam longiorem narrationem, usquam vere novum praeceptum militare in margine adscriptum esse, sed quoniam intellexi probavique pag. 67—188, quidquid ab illis viris doctis de eiusmodi additamentis prolatum est, falsum esse, neque adiecta esse nisi praecepta vel repetita ex genuinis Aeneae verbis vel derivata ex iis vel narrationibus, quibus saepissime Aeneas utitur, quo additamentorum genere nihil commendatur, quin alibi ipse Aeneas pronuntiaverit: minime igitur nego novum militare praeceptum adici potuissse, nego esse adiectum. — Sed videamus, quae praeterea Hugius ad illud iudicium confirmandum ann. phill. l. l. pag. 246 sq. protulerit (de rerum conexu cf. quae supra contra Mosbachium exponuntur). Ac primum quidem ostendere studet, quomodo eae, quas unas Aeneae tribuit, §§ 14—18 cohaereant cum cap. XV: „Dieses cap. entwickelt, wie man den einfällen der feinde in das land ... durch eine richtig organisierte *βοήθεια* begegnen müsse. dabei wird ein hauptgewicht auf die vorsicht gelegt, die sowohl beim auszug (§ 4 f.) als beim rückzug in die stadt (§ 7) bethätigt werden müsse. nach seiner weise belegt Aeneas diese regel mit beispielen: 1) 15,8 f. führt er uns aus der geschichte Abderas die folgen einer *ἀφύλακτος βοήθεια* vor; 2) 16,14 als gegensatz dazu die ganz besonders vorsichtige art eine *μακρὰ βοήθεια* zu bewerkstelligen, durch welche die Kyrenaeer und Barkaeer sich hervorthaten (vgl. auch die enge beziehung von 16,14 *ἐν τάξει γενόμενοι* und 15,3 *ἰόντας ἐν τάξει ὡς μάλιστα*). ich wüsste nicht was man an diesem übergang aussetzen könnte." Quae ratio conectendarum rerum longe inter se diversarum tam quaesita est quam falsa. Cum enim XV, 8 sq. Aeneas ostendat, quanta clade Abderitae affecti sint ideo, quod nulla cautione redeuntes in Triballorum insidias inciderunt, XVI, 14, postquam § 13 praecepit, ut si naves suppeditarent, navibus milites transveherentur, quocunque oporteret, quo integrioribus viribus cum hostibus itinere defessis, praeda onustis congrederentur, narrat, simili ratione Cyrenaeos Barcaeosque curribus uti, quibus milites integros adversus hostes advehantur, si iter longius sit. XV, 8 igitur ad reditum incautum, postquam succursum est, XVI, 14 aeque ac 13 ad optimam succurrendi vel milites ad succurrendum evehendi rationem pertinet. Neque ullo modo verba XVI, 14 *ἐν τάξει γενόμενοι* pendere ex illis XV, 3 *ἰόντας ἐν τάξει* intelleges, ubi comparaveris, hic quidem iubere Aeneam, milites *συνταχθέντας .... ἐκπέμπεσθαι καὶ σπεύδειν ἰόντας ἐν τάξει ὡς μάλιστα*, illic narrare, Cyrenaeos Barcaeosque, postquam copias curribus advexerunt, quo oportet, descendere curribus acieque instructa integris viribus congredi cum hostibus solere (*κομισθέντων δὲ εἰς τὸ προσῆκον καὶ ἑξῆς τῶν ζευγῶν παραταχθέντων ἀποβάντες οἱ ὁπλῖται καὶ ἐν τάξει γενόμενοι εὐθὺς νεοκμῆτες προσεφέροντο τοῖς πολεμίοις*). An, qui curribus descenderunt, eos non instructa acie nullo suo periculo cum hostibus confligere Hugius opinatur? — Pergit ille sic: „Allerdings war auch derjenige, der 16,11—13 schrieb, auf einen übergang zu 16.14 bedacht. 16,13 nemlich lautet *ἄριστον δ' ἵνα νεοκμῆσι τοῖς στρατιώταις χρήσῃ, ὑπαρχόντων γε πλοίων, κατὰ θάλατταν τὴν δίωξιν ποιεῖσθαι· τό τε γὰρ φθάσαι καὶ τὰ ἄλλα εἰς τὸ δέον σοι συμβήσεται, ἐὰν μὴ κατοφθῇς πλέων ὑπ' αὐτῶν*. offenbar soll hier das *νεοκμῆσι τοῖς στρατιώταις* den worten § 14 *εὐθὺς νεοκμῆτες προσεφέροντο τοῖς πολεμίοις* genau entsprechen. allein bei näherer betrachtung wird sich gerade dieser übergang als ein künstlich gemachter herausstellen. es ist im ganzen c. 15 und selbst in den vom interpolator als fortsetzung in 16 dazu gefügten teilen nur von einem einfall zu lande und einer dagegen vorgenommenen landexpedition (*βοήθεια*) die rede. nun wäre an sich die möglichkeit nicht ausgeschlossen, dass eine seestadt von der landseite angegriffen, diesem angriff aber von seite derselben durch einen einfall in feindesland auf dem seewege begegnet würde, während man mehr zum schein die feinde auch auf der landseite verfolgte. ein verständiger autor hätte aber dann nicht den ausdruck gebraucht *κατὰ θάλατταν τὴν δίωξιν ποιεῖσθαι*: denn da der begriff des verfolgens auch die möglichkeit des erreichens in sich schliesst, so ist nicht abzusehen, wie man eine landexpedition auf dem seewege verfolgen könne: das wäre doch durch den einfachen begriff des zuvorkommens zu bezeichnen gewesen: was unser autor selbst zu fühlen scheint, indem er nachher den ausdruck *φθάσαι* verwendet." — Cuius argumentationis prorsus perversae *πρῶτον ψεῦδος* in eo positum est, quod Hugius non a scriptoris verbis, sed a suis *φαντάσμασι* proficiscitur neque eum, qui traditus est (XVI, 11—15), sed quem ipse singulis rebus inter se divulsis sibi effinxit sententiarum conexum (XV. XVI, 14)

4—6; 11—15, nam interpolatoris videntur esse 2—3; 7—10 — haecce praecipit: Urbis incolae haud ignari, hostes belli peritos ita irruptiones facere, ut acie instructa proficiscantur initio quidem,

---

respicit. Cum enim Aeneas § 13 praecepisset, ut navibus in hostium terram traicerentur milites, si hostes redeuntes cum iis, quae rapuissent, longius iam recessissent et quo celerius oppidani insequi possent et quo integrioribus viribus congrederentur cum hostibus, deinde § 14, ut consuevit, ad illustrandum § 13 praeceptum narrationem de Cyrenaeis Barcaeisque addit. Hugius vero non narrationem praecepti illustrandi causa ab Aenea adiectam esse contendit, sed praeceptum narrationis, quae sequitur demum, illustrandae causa ab eo, quem sibi finxit, interpolatore esse additum. Quod autem ad singula, quae protulit, argumenta pertinet, primum respiciendum est, Aeneae maritimum oppidum in commentario conscribendo ante oculos esse versatum, id quod docui l. l. pag. 6. Deinde § 11 hoc praeceperat Aeneas: ἐὰν δέ σε λάθῃ ἢ φθάσῃ τὰ ἐκ τῆς χώρας λεηλατηθέντα, οὐ χρὴ τὴν δίωξιν αὐτῶν ποιεῖσθαι κατὰ τὰς αὐτὰς ὁδοὺς καὶ τοὺς αὐτοὺς χώρους, ἀλλὰ τῇδε μὲν ὀλίγους ἐπιφαίνεσθαι καὶ διώκοντας μὴ ἐπικαταλαμβάνειν, ἄλλο δὲ πλῆθος μετὰ ἀξιόχρεω δυνάμεως σπεύδειν κατ' ἄλλας ὁδοὺς ὅτι τάχιστα πορευόμενον, καὶ φθάσαν ἐν τῇ τῶν ἀγόντων χώρᾳ περὶ τὰ ὅρια ἐνεδρεῦσαι κ. τ. λ. In eo igitur rei cardo versatur, ut oppidani ante hostes in eorum terram perveniant insidiasque ponant. Jam, quo facilius et id fieri possit et quo integrioribus viribus pugnent oppidani, iubet τὴν δίωξιν κατὰ θάλατταν ποιεῖσθαι, quae verba pertinere ad illa § 11 οὐ χρὴ τὴν δίωξιν αὐτῶν ποιεῖσθαι κατὰ τὰς αὐτὰς ὁδούς, luce fere est clarius, aeque ac verba § 13 τό τε γὰρ φθάσαι καὶ τὰ ἄλλα εἰς τὸ δέον σοι συμβήσεται spectare ad § 11 ἄλλο δὲ πλῆθος.. σπεύδειν.. ὅτι τάχιστα πορευόμενον καὶ φθάσαν.. ἐνεδρεῦσαι. At ne per se quidem spectata verba κατὰ θάλατταν τὴν δίωξιν ποιεῖσθαι, etiamsi non praecederet § 11, ullam offensionis ansam praeberent, quoniam milites ad persequendos hostes mari advehuntur, quo oportet, revera igitur mari persequuntur hostes. Nec quisquam, opinor, negabit eos, qui navibus utuntur, appulsis illis ad hostium terram hostium exercitum redeuntem consequi vel etiam praevenire posse. — Aliae deinde ineptiae sequuntur apud Hugium: „sonderbar und ganz in der weise des interpolators die verclausulierung durch zwei bedingungen: 1) ὑπαρχόντων γε πλοίων, etwas das man doch bei einer seestadt von vornherein erwarten sollte, und besonders 2) ἐὰν μὴ κατοφθῇς πλέων ὑπ' αὐτῶν. durch den umstand, dass die seeexpedition vom lande aus gesehen wird, wird das φθάσαι an sich nicht verhindert, da dasselbe auf dem hiervon unabhängigen umstande beruht, dass die schiffe sich schneller bewegen als die mannschaft marschiert. ferner ist es von vornherein unmöglich das gesehenwerden zu verhindern, es sei denn dass man für die seefahrt die nacht auswähle: was ein verständiger autor kurz und bündig sagen würde.“ — Quasi semper in urbis alicuius maritimae portu classis ornata parataque ad proficiscendum praesto sit! Porro quasi aut necesse sit, eos, qui praeda onusti revertuntur, hostes in litore maris semper reverti aut cogitari omnino nequeat, montibus illos vel silvis impediri, quominus in mare prospiciant! Minime igitur semper noctem eligi opus est. Maxime autem eorum, qui hostium copias navibus insequuntur, interesse, ne conspiciantur ab illis, in promptu est: conspecta enim classe hostes et quam celerrime proficiscentur et suspicati, oppidanis esse in animo insidias ponere, quam maxima cautione utentur, ita ut oppidanorum consilium prorsus irritum fiat. Praeterea Hugius neglexit verba ἐὰν μὴ κατοφθῇς non tantum ad τό τε γὰρ φθάσαι referenda esse, sed etiam ad καὶ τὰ ἄλλα (sc. τὸ ἐνεδρεῦσαι § 11, ἡ ἐπίθεσις § 12) εἰς τὸ δέον σοι συμβήσεται. — Sed haec hactenus. Intelleges iam, nullum argumentum ab Hugio prolatum esse, quo possit probare, XVI, 14 ullo modo cohaerere cum cap. XV, nullum, quo possit probare, § 14 non artissime conectendam esse cum § 13.

Sed de primis quoque duodecim §§ ille verba facit pag. 249—50. Ac primum quidem contendit: „es ist aber rein nicht abzusehen, wie Aeneas diese sätze als einen ἄλλος τρόπος βοηθείας hätte bezeichnen können, der dem vorher von ihm geschilderten vorzuziehen wäre: denn durch dieselben werden die in c. 15 gegebenen regeln in keiner weise tangiert, sondern bleiben in voller kraft bestehen.“ — At nonne XV, 2 Aeneas iubet τὸν στρατηγὸν τοὺς παρόντας εὐθὺς συντάττειν. 3 εἶτα συνταχθέντας... ἐκπέμπεσθαι καὶ σπεύδειν ἰόντας ἐν τάξει ὡς μάλιστα, contra XVI, 5 δεῖ οὖν μὴ εὐθὺς αὐτοῖς προσκείμενον ἐνοχλεῖν, ἀλλ' ἐᾶσαι αὐτοὺς πρότερον θαῤῥῆσαι καὶ καταφρονήσαντάς σου ἐπὶ λεηλάτησιν καὶ πλεονεξίαν ὁρμῆσαι κ. τ. λ? Nonne haec duo praecepta prorsus contraria sunt? — Deinde Hugius negat §§ 7—10 separari posse a §§ 11—13: „auf das λεηλατοῦντες καὶ πεπληρωμένοι λαφύρων in § 8, in welchem zustande man die feinde angreifen soll, bezieht sich § 11 als gegensatz: sollten aber diese angriffe auf die feinde in deinem eignen lande nicht gelungen sein, sondern dieselben unversehrt mit der beute sich in ihr land zurückgezogen haben (ἐὰν δέ σε λάθῃ ἢ φθάσῃ τὰ

veriti, ne oppidani egrediantur parati ad defendendos praedatores, melius non statim confligent cum hostibus, sed exspectabunt, dum illi, rati oppidanos omnino non esse ausuros secum proelium

---

ἐκ τῆς χώρας λεηλατηθέντα), nun so verfolge sie bis in ihr eigenes gebiet hinein.“ — Nonne vero aequo modo § 11 opposita est §§ 5—6, quae ab ipso Aenea conscriptae undeque derivata sunt illa interpolatoris praecepta §§ 8—10? (XVI, 7 ex XV, 5 fluxit). Optime igitur post § 6 verba ἐάνπερ γε σὺ αὐτοῖς εὐκαίρως ἐπιθῇ (expunctis §§ 7—10) sequi § 11 ἐὰν δέ σε λάθῃ ἢ φθάσῃ τὰ ἐκ τῆς χώρας λεηλατηθέντα κ. τ. λ. in promptu est. Minime vero haec verba ita intellegenda sunt, ut Hugius interpretatus est: „wobei aber in merkwürdiger weise, nachdem sie bereits bis über die grenze zurückgekehrt gedacht sind, doch noch empfohlen wird, ihnen in der gegend der grenze (περὶ τὰ ὅρια) aufzulauern.“ Quis enim hostes iam in suam terram revertisse dixit? Minime profecto Aeneas, qui eos aliquantum viae praecepisse tantum in revertendo ponit ideoque oppidanorum minorem partem eodem itinere per speciem insequi hostes, maiorem partem quam celerrime aliis itineribus in hostium terram contendere propeque finem in insidiis considere iubet: tum pergit: φθάσαι δέ σε εἰκός ἐστιν εἰς τὴν ἐκείνων ἀφικόμενον διὰ τὸ λείαν ἄγοντας αὐτοὺς βραδυτέρως πορεύεσθαι. Qua vero de causa oppidanis praecipiat, ut hostes in illorum ipsorum terra aggrediantur, § 12 verbis profitetur: τὴν δ' ἐπίθεσιν αὐτοῖς ποιεῖσθαι δειπνοποιουμένοις· οἱ γὰρ λεηλατήσαντες ὡς ἔν τε τῇ αὐτῶν ἤδη γεγονότες καὶ ἐν ἀσφαλεῖ ὄντες πρὸς ῥαθυμίαν τρεπόμενοι ἀφυλακτοτέρως ἂν διακέοιντο. — Praeterea Hugius contendit, mere rhetoricas ambages et antitheses inveniri in §§ 1—13: quam sententiam ab eodem in proll. critt. prolatam stare non posse l. l. pag. 112 ostendi. Ibidem exposui, iniuria eum eos locos in suspicionem vocasse, ubi Aeneas altera persona utitur. (De verbis § 4 δεῖ σε εἰδέναι cf. quae dixi l. l. pag. 41: „Praecepta ... ita Aeneas dat, ut ... plus ducenties simplici infinitivo utatur aut apposito accusativo aut mente addendo.“) Quod praeterea Hugius dicit, verbum φθάνειν saepius in §§ 11—13 adhiberi (§ 9 vero huc non pertinet, nam interpolatoris est), minime valere posse ad illas ab Aenea abiudicandas intelleges, ubi consideraveris, Aeneam non oratorem esse, qui se indignum iudicet saepius idem vocabulum repetere: e contrario saepissime ille idem vocabulum ex haud magno intervallo posuit: cf. quae dixi l. l. pag. 49. Minus etiam in eo posse offendi, quod λαθεῖν ἢ φθάσαι verba § 11 (non § 13, ut falso dixit Hugius) exstant, his locis docetur: XVIII, 19. XXII, 6. XXIII, 11. XXXVII, 6, ubi eadem inveniuntur. Quin etiam earum, quas Aeneae tribui, §§ 1; 4—6; 11—18 sermo omnino Aeneanus est: ita verba μετὰ συνέσεως καὶ ἐπιστήμης § 4; ἐπὶ λεηλάτησιν καὶ πλεονεξίαν § 5; κατὰ τὰς αὐτὰς ὁδοὺς καὶ τοὺς αὐτοὺς χώρους § 11; σπεύδειν ... ὅτι τάχιστα πορευόμενον § 11 egregie consentiunt cum iis, quae l. l. (de sermone Aeneae I, 1, a) pag. 24 - 25 explicavi; nec minus subst. verbal. quae vocantur usus: χαλεπὴν τὴν ἀποχώρησιν συμβαίνειν § 6; τὴν δίωξιν ποιεῖσθαι § 11 et 13; τὴν ἐπίθεσιν ποιεῖσθαι § 12: cf. ib. I, 2 pag. 25—27. — Sequitur ex his omnibus, ut iniuria Hugius statuerit, unas §§ 14—18 Aeneae tribuendas esse.

Mosbachius totum cap. XVI ab ipso Aenea scriptum esse putat. Viderit tamen, ne iusto plura Aeneae adscribat. Ceterum quod pag. 19—20 negat, verba XVI, 2—3 derivata esse ex XV, 2, XVI, 7 ex XV, 5, vix cuiquam probabit, nec magis, quod inter § 18 et §§ 19—20 illud interesse dicit pag. 21 annot., quod § 18 de quibusdam idoneis locis electis agatur, §§ 19—20 de omnibus regionis locis disputetur, quare „nulla sit circumscriptio rhetoricis ambagibus eadem complectens.“ Sed inspicias ipsa verba: § 18: ἂν δὲ μηδὲ ταῦτα ὑπάρχῃ, λοιπὸν (ita recte Sauppius l. l. pag. 743 pro eo, quod Med. praebet, τῶν λοιπῶν: Hercherus audacius ἂν δὲ μὴ ὑπάρχωσι τοιοίδε τόποι) καταλαβεῖν ἐγγὺς τῆς πόλεως χωρία σύμμαχά τε πρὸς τὸ μάχεσθαι πλεονεκτικῶς, ὅταν οἱ ἐμβαλόντες εἰς τὴν χώραν πολέμιοι πρὸς τὴν πόλιν πορεύωνται (sic scribenda collocandaque verba docui l. l. pag. 79—80), καὶ εὐαπαλλάκτως ἔχοντα, ὅταν βούλῃ ἀπιέναι πρὸς τὴν πόλιν, καὶ οὕτως ἄρχειν τῆς μάχης ἐκ τῶν χωρίων τούτων ὁρμώμενον. § 19. τὰς δ' ἐπιθέσεις αὐτοῖς ποιεῖσθαι ἀεὶ πλεονεκτοῦντα τῆς χώρας τῇ συνηθείᾳ· πολὺ γὰρ προέξεις προειδὼς τὰ χωρία καὶ προάγων εἰς τόπους εἰς οὓς ἂν σὺ βούλῃ, σοὶ μὲν γνωστοὺς καὶ ἐπιτηδείους καὶ φυλάξασθαι καὶ διῶξαι καὶ φυγεῖν καὶ ἀπιέναι εἰς τὴν πόλιν λαθραίως καὶ φανερῶς, τοῖς δὲ πολεμίοις ἀσυνήθεις καὶ ἀγνῶτας καὶ λελειμμένους πάντων τούτων. 20 εἰδέναι γὰρ ὅτι ἄπειρον ὄντα τῆς χώρας οὐ μόνον ἀδύνατον πρᾶξαί τι ὧν θέλεις, ἀλλὰ καὶ σωθῆναι χαλεπόν, τῶν γε ἐν τῇ χώρᾳ βουλομένων ἐπιχειρεῖν. πρὸς πάντα ἂν οὖν ἀτόλμως καὶ δειλῶς διακείμενοι σφάλλοιντο· διενέγκοι γὰρ ἂν τοσοῦτον ἑκατέροις, ὅσον εἰ τοῖς μὲν νυκτὸς γένοιτο ἡ μάχη, τοῖς δὲ ἡμέρας, εἰ οἷόν τέ πως ἦν ταῦτα ἅμα γενέσθαι. Nonne vero is quoque imperator, qui

inire, longe lateque dispersi praedari agros coeperint et simul coenando potandoque se dederint desierintque vinolenti ducibus parere. Tum demum egressi felici Marte cum hominibus praedae vinique plenis et huc illuc nullo ordine dissipatis pugnabunt. Si vero praedatores clam oppidanis auferre iam praedam atque recedere coeperint, praestabit, non omnibus copiis hostes iisdem itineribus persequi, sed paucis dimissis, qui ipsos hostes secuti hic illic lacessant quidem, sed pugna abstineant, maiorem exercitus partem quam maximis itineribus per alias regiones in ipsam hostium terram contendere, quo ubi pervenerint ante praedatores — quippe qui praeda onusti multo tardius proficiscantur quam milites expediti — insidiis positis ex improviso hostes aggrediuntor. Elucet enim fore, ut praedatores in suam terram reversi, cum iam se ab omnibus periculis tutos esse putent, gaudio vinoque indulgeant. Optimum autem est, si quidem classis suppeditat, mari copias in hostium fines traicere, ut integri milites hostes itineribus defessos aggredi possint. Simili modo Cyrenaei et Barcaei, quando in remotas regiones auxilium ferendum est, curribus dicuntur milites transportare. Quibus curribus et castra muniri et milites vulnerati revehi in oppidum poterunt." — Mosbachius, postquam Hugium de cap. XVI errasse dixit, sic pergit pag. 18: „Tantum . . abest, ut cap. XV et XVI easdem res complectantur, ut ne componenda quidem esse videantur. Quid ita? quia cap. XV de *βοηθείας* ratione edocemur tum instituendae postquam iam direptos esse agros nuntiatum sit (§ 1 *ἐξιέναι ἐπὶ τὰ κακούμενα τῆς χώρας*), cap. XVI *βοήθεια* in hostes qui agros depopulati nondum sint ita fieri iubetur, ut exspectetur non solum dum isti praedari audeant (cf. § 5 *ἐᾶσαι αὐτοὺς . . . ἐπὶ λεηλάτησιν καὶ πλεονεξίαν ὁρμῆσαι*), sed dum ad finem perducta sit depopulatio (cf. § 9: *οἱ δὲ πολέμιοι μικρὰ μὲν ἂν φθάσειαν κακουργήσαντες, ἐν τάξει δ' ἂν ἔτι ὄντες ἀτιμώρητοι ἂν ἀπέλθοιεν*)." — At nonne XV, 1 *κακούμενα* praesentis temporis participium est, non aoristi vel perfecti? Nonne, quae ibidem exstant verba *ἄν τι ἀγγελθῇ ἢ πυρσευθῇ βοηθείας δεόμενον*, aeque ac *κακούμενα* illud ostendunt, non egredi cives ad eos adiuvandos, qui direpti sint, sed eos, qui diripiantur eo ipso temporis momento, quo cives succurrere incipiunt? Immo id unum interest inter cap. XV et XVI, quod in cap. XV oppidani iubentur statim egredi contra hostes, qui agros populari coeperint (cf. XV, 2 *εὐθὺς συντάττειν . . 3 εἶτα συνταχθέντας . . . ἐκπέμπεσθαι καὶ σπεύδειν ἰόντας ἐν τάξει ὡς μάλιστα*), cap. XVI non statim egredi, si maiore cautione opus sit adversus hostes prudentes bellique peritos [21]), sed exspectare, dum hostes contemptione oppidanorum commoti temerius agere solutisque ordinibus longe lateque dispersi praedari incipiant simulque coenando potandoque se dedant (cf. XVI, 5 *δεῖ οὖν μὴ εὐθὺς αὐτοῖς*

---

§ 18 iubetur *καταλαβεῖν χωρία σύμμαχα κ. τ. λ.*, novit terram suam aeque atque is, de quo § 19 agitur? Nonne praeterea in ipsa illa § 19 aeque atque in § 18 „de quibusdam idoneis locis electis agitur", cum quisquis haec conscripsit, dicat *προάγων εἰς τόπους εἰς οὓς ἂν σὺ βούλῃ, σοὶ μὲν γνωστοὺς κ. τ. λ.*? § 20 nonne meras ambages rhetoricas continet? Nam profecto probe noverant hostes, antequam irrumperent, oppidanis suae terrae loca magis cognita esse quam sibi: si vero ea ipsa re efficeretur, ut essent *ἀτόλμως καὶ δειλῶς διακείμενοι*, sane vix timidissimi illi ausi essent in oppidi fines irrumpere. §§ 21—22 denique ex § 13 derivatas esse, ipsa utriusque loci natura luculentissime ostenditur. Omnino permultas eiusmodi repetitiones praeceptorum ab ipso Aenea datorum in margine libri adscriptas esse, intelleges perspectis iis, quae l. l. pag. 178 sq. exposui. Ceterum omnes illae §§ 2—3; 7—10; 19—22 cum novi nihil contineant, utrum Aeneae tribuantur an interpolatori, ad quaestionem de sede cap. XVI diiudicandam nihil refert.

[21]) Nugatur Hugius quod l. l. pag. 249 *τῶν πολεμίων οἱ μετὰ συνέσεως καὶ ἐπιστήμης γιγνόμενοι ἐν πολέμῳ* vertit „wissenschaftlich verfahrende feinde."

προσκείμενον ἐνοχλεῖν, ἀλλ' ἐᾶσαι αὐτοὺς πρότερον θαῤῥῆσαι καὶ καταφρονήσαντάς σου ἐπὶ λεηλάτησιν καὶ πλεονεξίαν ὁρμῆσαι κ. τ. λ.) Minime vero id Aeneas praecipit, quod Mosbachius arbitratur, ut exspectetur „dum ad finem perducta sit depopulatio", quod prorsus ineptum esset. — Jam ille sic pergit: „At enim initio promisit scriptor, alium se modum *βοηθείας* meliorem explicaturum esse. Certe, sed quod cap. XVI summa cum diligentia idoneum tempus observandum atque summa cum providentia exeundum docetur, id iure ne dicam melior sed alius modus *βοηθείας* dici non potuit, nisi alter ille modus diligentia et providentia carere potuit aut potuisse putabatur." — Sed nonne ita se habet res, ut iis, qui cap. XV praecepta secuti statim, ubi nuntiatum est, hostes irrupisse, egrediuntur, quamvis caute proficiscantur, tamen facile possit accidere, ut congrediantur cum hostium acie instructa agmineve ordinato, si quidem illi belli periti sunt neque providentia carent: contra ut ea *βοηθείας* ratio, quae cap. XVI docetur, ideo et alia sit et melior, quod, qui ea utentur, ii congredientur cum hostibus dissipatis, turbatis, ebriis, praeda onustis? — Neque magis recta sunt, quae deinde exstant apud Mosbachium: „Huc accedit, id quod summum est, quod cap. XV vidimus exire milites ut agros tutarentur ab hostibus, qui urbis oppugnandae causa in finibus versantes audacius se gererent. Atque adquiescunt cives in impedita populatione, nam remanent hostes, quoniam redeuntes ad urbem milites cavere iubentur ne in insidias incidant. Quare *βοηθείας* verbum ibi peculiarem habet significationem et de auxilio ferendo intellegendum est. At longe alia ratio est eius *βοηθείας* de qua cap. XVI agitur. Hostes de obsidenda urbe non cogitant sed ad irruptionem faciendam domu profecti satis habent praedam cepisse: cives agris auxilio non veniunt sed omnis *βοηθείας* cardo in eo versatur, ut hostes vincantur et finibus propulsentur. Est igitur cap. XV de excursione facienda in hostes qui et ante in finibus fuerant et postea remanent: cap. XVI hostes et repentina invasione advenerunt et praeda facta domum abituri sunt." — Nam primum quidem, quod ad cap. XV pertinet, ne uno quidem verbo Aeneas dixit hostes „urbis oppugnandae causa in finibus versari" neque remanere eos. Mosbachius, vero XV, 7 verbis *ἀπιόντα τε εἰς τὴν πόλιν πεφυλαγμένως ἀναχωρεῖν ἄλλων τε ἕνεκα καὶ μάλιστα ἐνέδρας φοβούμενον πολεμίων*, de totius cap. argumento falsus est, quamquam Aeneas ne illis quidem quidquam de hostibus ad urbem oppugnandam remanentibus dixit, sed monuit tantum, ut caverent cives, etsi victores redirent, ab hostium insidiis: insidias vero etiam hostes victos et decedentes e terra posse ponere, quis est qui neget? Deinde, si remanent hostes, num revera „impeditur populatio"? Nonne reversis in oppidum oppidanis statim illi, qui remanent, hostes pergere poterunt in agris populandis? Contra ex Aeneae quidem iudicio reverti cives apparet non nisi aut hostibus e terra propulsis aut victos repulsosque ab hostibus. Tum si aliud in cap. XV, alind in cap. XVI significaret vox *βοήθεια*, summopere profecto miraremur, quod de tam diversis rebus eadem voce Aeneas usus esset. Contra in utroque cap. *βοηθείας* verbum eandem „peculiarem habet significationem et de auxilio ferendo intellegendum est." Porro cap. XV et ipsum spectare ad repentinam hostium irruptionem supra iam exposuimus: cf. pag. 18. Utroque igitur loco, et XV et XVI, 1—15, de subita hostium irruptione agitur ad agros diripiendos facta. Una succurrendi ratio alia est in cap. XV atque in cap. XVI, de qua re supra iam verba fecimus.

Quoniam Mosbachius falsis argumentis nititur, quod de sede §§ 1—15 exploranda fallitur, vix miraberis. Dicit enim pag. 21: „Quodsi recte perspeximus quae sit ratio cap. XVI, pars aliqua fuit disputationis qua quomodo hostibus irruptionem facientibus occurrendum esset praeciperetur.

Ac meminerimus de eadem re Aeneam cap. VIII agere. Quocum capite, quod est de exspectatis hostibus, nostrum ita coniunxisse crediderim scriptorem, ut ad subitas ac repentinas irruptiones spectaret." — Sed primum quidem cap. VIII spectat ad maiorem hostium exercitum impediendum, quominus et irrumpat in terram et ibi versetur: quem ad finem et obstrui aditus et terram vastari et quidquid hostibus remanentibus usui esse possit, deleri vel inutile reddi Aeneas iubet. Antea igitur cives certiores facti sunt, appropinquare hostes: contra XVI, 1—15 praecepta ad eos cives spectant, quorum in terram ex improviso hostes irruperunt. Praeterea autem quid e terra eum in modum, quo cap. VIII praecipitur, devastata agunt feruntque praedatores? Deinde aequo iure sive aequa iniuria contenderit aliquis, cap. XV, quod et ipsum „ad subitam ac repentinam irruptionem spectare" saepius monuimus, cum cap. VIII coniungendum esse. Quin etiam Mosbachius, si sibi constare volebat, debebat ita statuere, quoniam cap. XV quidem de hostibus in terra remanentibus agi arbitratur, ad quos proprie pertinent verba VIII, 3—4, sed cap. XVI, 1—15 agi de hostibus „praeda facta domum abituris". Ut igitur inepte ille cap. XV cum cap. IX coniunxit, ita non minus inepte XVI, 1—15 cum cap. VIII. Sed capita XV et XVI non esse divellenda XVI, 1 verbis *ὅδ' οὖν ἄλλος τρόπος βοηθείας βελτίων ἂν εἴη ἐπὶ τοὺς ἐμβεβληκότας* docetur, quibus apertissime postulatur, ut in antecedentibus scriptor de altera ratione opitulandi iam exposuerit. Quae XVI, 1 verba cum suae coniecturae gravissime obstare sensisset Mosbachius, in marginem ea vult relegari ut „a librario cap. XVI cum cap. XV coniungente profecta" eorumque loco poni hoc totum enuntiatum ab ipso ad conectenda capp. VIII et XVI excogitatum: *ἐκ προσφάτου δὲ ἐμβαλόντων τῶν πολεμίων εἰς τὴν χώραν βοηθεῖν ὧδε χρή*: quae coniectura quibus argumentis nitatur neque ipse significat nec quisquam videt! Ita igitur Mosbachius, cum conectenda sibi proposuisset, quae minime cohaerent, ipse eo est adductus, ut interpolatoris munere fungeretur. Nihil ceterum nos lucrari eiusmodi vanis coniecturis, cui non est persuasum?

Sed videamus de altera cap. XVI parte §§ 16—18 (19—22 interpolatoris sunt) Haec fere ibi Aeneas commendat: Si aditus terrae pauci sunt difficilesque et angusti, munitis obstructisque iis, qua ratione supra dictum est, illuc est proficiscendum resistendumque hostibus ad urbem accedere conantibus. Contra si multi sunt et faciles aditus, loca idonea occupanda sunt, ne hostes appropinquare possint ad urbem. Si ne talia quidem loca sunt, prope ab urbe opportunis locis consistendum est indeque propulsandi sunt hostes. — Quas §§ nec cum § 15 ullo modo cohaerere nec apte coniungi *καί* voce, nemo, opinor, negabit. Quod cum ita sit, Hercherus (in annot. editionis maioris ad § 16) suspicari sese professus est, §§ 16—18 olim collocatas fuisse ante XV, 1 et prima cap. XV verba *κατασκευασθέντων δὲ τούτων* spectare ad XVI, 16—18. Ac valde quidem nobis legentibus primo obtutu arridet illa viri sagacissimi coniectura, quapropter a me quoque l. l. pag. 202 extr. probata est. Attamen iterum accuratius inspecta re facere non possum, quin iam dissentiam ab Herchero. Nam primum quidem, id quod minoris est momenti, *τὰ μέρη* voces in §§ 16—18 adhibitae male se haberent ante cap. XV et XVI, quibus ipsis demum de agminis illis partibus verba fiunt. Tota deinde rerum condicio prorsus alia est in capp. XV, XVI, 1—15 atque XVI, 16—18: illa ad irruptionem praedandi causa ex improviso factam, hae §§ ad exspectandam incursionem; illa ad hostes fines transgressos, hae ad transgressuros; illa ad eos cives, quorum necopinantium in terram hostes irruperunt, hae ad eos, qui antea certiores facti sunt, hostibus et irrumpere et ad urbem ipsam accedere in animo esse; illa ad praedantes hostes spectant, hae ad hostes gravius bellum illaturos et ipsam urbem aggressuros. (cf. XVI, 16 (*πολεμίοις*) . . *βουλομένοις πρὸς τὴν πόλιν προσιέναι*. 17 *ὥστε τοῖς πολεμίοις χαλεπὴν εἶναι τὴν πάροδον ἐπὶ τὴν πόλιν*. 18 *καταλαβεῖν ἐγγὺς τῆς πόλεως χωρία σύμμαχά τε πρὸς τὸ μάχεσθαι πλεονεκτικῶς, ὅταν οἱ ἐμβαλόντες εἰς τὴν χώραν πολέμιοι πρὸς τὴν πόλιν πορεύωνται κ. τ. λ.*). Quae ita se habere, ipsorum praeceptorum capp. XV, XVI, 1—15 ratione prorsus diversa a §§ 16—18 luculentissime demonstratur: hic antequam hostes irrumpant, cives egredi ad fines, obstruere angustias faucesque iubentur, quibus hostes irrumpere possint (*τὰς εἰσβολάς*), locave idonea ad hostes propulsandos impediendosque, quominus urbem aggrediantur, capere; illic duces, postquam hostes irruperunt, cives, qui ad portas concurrunt, colligere et educere ad hostes impediendos, quominus praedentur aut praedam auferant (XVI, 11 sq.) iubentur locaque idonea in ipso itinere sita tum demum occupare. Quibus de causis statui nequit, cap. XVI §§ 16—18 ponendas esse ante XV, 1.

Quid vero Mosbachius de §§ 16—18 iudicat? Postquam neminem adhuc explicare conatum esse dixit, quonam vinculo § 15 cum § 16 coniuncta esset, pergit pag. 22: „Huc accedit quod illud *ὡς προγέγραπται* (16), quod ad proxime antecedentia *προκατασκευάσαντα αὐτάς* (sc. *τὰς εἰσβολάς*) pertinere Hercherus dixit, non habet quo referatur. Nam ad verba VIII, 1 *τὴν χώραν δυσείσβολον τοῖς πολεμίοις . . . κατασκευάζειν* spectare non potest, quia ibi de regione quae *δυσείσβολος* reddi debeat verba fiunt, nostro loco regio ipsa natura *δυσείσβολος* (= *οὐκ εὐείσβολος*) est. Necesse est igitur Aeneam antea explicatius tractasse aliquo loco impeditiones adituum, quae disputatio cum in eis quae nobis servata sunt non reperiatur intercidisse credenda est. Atque Herchero simile videbatur veri esse eam excidisse ante verba *κατασκευασθέντων δὲ τούτων*, a quibus cap. XV inciperet. Neque tamen adsentiri possum viro egregio cum de illis verbis cap. XV aliter me iudicare supra dixerim. Quid ergo est? Ego quidem sic existimo: post finem § 15 perierunt nonnulla quibus cum redierat oratio ad exspectatas hostium incursiones tum explicatum erat quomodo aditus impediri possent." — Neque vero illud recte se habet, quod dicit § 16 verba *προκατασκευάσαντα αὐτὰς* (sc. *τὰς εἰσβολάς*) *ὡς προγέγραπται*, ideo ad cap. VIII referri non posse, quod in § 16 praecedant verba *καὶ ἐὰν μὲν ᾖ ἡ χώρα μὴ εὐείσβολος*, cap. VIII autem de regione, quae *δυσείσβολος* reddi debeat, praecipiatur. Nam etiam difficiles aditus arte munitos obstructosque difficiliores reddi, *χώραν* igitur *δυσείσβολον* hoc modo magis etiam *δυσείσβολον* reddi posse, nec quisquam negaverit, et ipsa illa § 16 verba *καὶ ἐὰν μὲν ᾖ ἡ χώρα μὴ εὐείσβολος, ἀλλ' ὀλίγαι ὦσιν αἱ εἰσβολαὶ καὶ στεναί, προκατασκευάσαντα αὐτάς κ. τ. λ.* edocent. Qua de causa equidem verba *ὡς προγέγραπται* rettulerim ad cap. VIII, quamquam ipse quoque statuendum censeo, aliqua verba post XVI, 15 excidisse, quibus indicaverit scriptor, iam sese ad aliam rerum condicionem atque capp. XV, XVI, 1—15 erat, transire. Eo autem facilius nonnulla Aeneae verba in cap. XVI omitti poterant, quod tam multa, quae Aeneae non sunt, e margine irrepserunt.

Sed pergamus ad cap. XVII, de quo cum recte exposuerit Mosbachius pag. 22—23, verba eius afferre liceat: „Cavendum esse dicit Aeneas ne, si quae extra urbem sive ad festos dies agendos sive alia de causa pompae ducantur sollemnes, homines novarum rerum studiosi occasionem rei gerendae habeant. De eiusmodi pompis cogitari non potest si hostes — ne dicam urbem obsident — in finibus prope muros versantur. Atque videmus in eis quae de Argivis (2—4) et Chiis (5) exempli causa narrantur ne verbum quidem de hostibus dictum: immo civium tantum spectantur insidiae, qui eiusmodi tempus observant, quo arma induere liceat (§ 1 *ὅσαι τε ἱεροποιίαι πανδημεὶ ἐκ τῆς πόλεως καὶ σὺν ὅπλοις πομπαὶ ἐκπέμπονται*. § 2 *ἐξῆγον πομπὴν σὺν ὅπλοις κ. τ. λ.*). Praeterea illud velim animadvertas, quod cap. XVI regionis tantum urbis ratio habita est, qua callide

utendum esset, cap. XVII praeceptum ad ipsius urbis securitatem pertinet. Quid? credemusne postquam iam eo progressa sit oratio, ut de pugna cum hostibus committenda (ante urbem XVI, 17, 18) disputaretur, statim subsequi praecepta quae hostibus prope muros versantibus supervacanea et ridicula sint, conveniant autem aptissime urbi ut tranquillam cum hostibus pacem agenti ita bello indicto vel exspectato defensionem paranti? Quod nollem cuiquam placuisset. Equidem eis quas protuli fretus rationibus revocandum puto cap. XVII ab ea quam adhuc habuit societatem cum cap. XVI." — Id unum ad firmandum eius indicium, capiti XVII post XVI, 18 nullum esse locum, proferam, quod imprimis § 6 verbis *ἄριστον δὲ τὰς ἀρχὰς πρῶτον μετὰ τῆς προεξηγμένης*[22]) *δυνάμεως ἱεροποιῆσαι, τούτων δὲ ἐκ τοῦ ὄχλου ἀπαλλαγέντων οὕτω τοὺς ἄλλους συνιέναι*, docetur, nullos in terra hostes versari eo tempore, quo haec facienda praecipit Aeneas: nam magistratus sacris factis cum ea, quam eduxerunt, manu reverti in urbem iubentur, reliquis civibus ad diem festum celebrandum remanentibus: apparet igitur, copias illas non tam ad pompam totam ab hostibus defendendam, quam ad ipsos magistratus ab adversariorum insidiis tuendos et educi et reduci. — De eo quoque Mosbachio omnino assentior, quod pag. 28 dicit: „Quo loco . . . aptius de illis pomparum periculis agi potuit quam post finem cap. XI? Hic igitur crediderim ponenda esse ea quae ibi ubi adhuc leguntur iniuria manserunt, ut habeamus continuam atque perpetuam disputationem de insidiis civium evitandis", et pag. 30: „capiti XIV proxime antecessisse crediderim ea quae de civium suspectorum insidiis evitandis exposita essent, ut cap. XIV perpetuarentur capita XI et XVII. Quod si ita est, habemus optimum sententiarum conexum hunc: docuimus quomodo cavere oporteret a civibus qui novis rebus studerent: nunc docendum qua ratione provideri possit ut ad concordiam et ad fidem adducantur." — Simillima etiam verba Aeneas exemplis utriusque cap. (XI et XVII) praemisit: cf. XI, 2 *ῥηθήσονται δὲ ἑξῆς αἱ ἐπιβουλαὶ . . παραδείγματος ἕνεκα.* XVII, 2 *παράδειγμα δὲ ἐξοίσω γενόμενον πάθος.* Sed alia quoque capita, id quod postea demonstrabimus, ante cap. XIV inserenda videntur esse, quae et ipsa ad adversariorum fraudes pertinent.

De capitum XII et XIII loco aeque cum Mosbachio consentio, qui pag. 30 loquitur: „Ac mihi quidem — quamquam argumentorum momentis vincere non possum — omnes numeros probabilitatis habere videtur is ordo ut capp. XII. XIII antecedant capitibus XI. XVII. XIV. Mitto quod in eis quae cap. X ad urbem tutam praestandam praecipiuntur de removendis ex urbe hominibus ac de revocandis verba facta sunt, quibus apte accedere videantur quae de sociorum et mercennariorum arcessendorum numero disputantur: hoc velim attendas, verba XI, 1 *ἔτι δὲ καὶ τῶν πολιτῶν τοῖς ἀντιπροθυμουμένοις προςέχειν τὸν νοῦν* bono intellectu carere nisi antecesserint quaedam de aliis hominibus intra muros versantibus." — Atqui sat gravia argumenta mihi videntur afferri posse ad eam sedem capp. XII et XIII attribuendam. Cum enim X, 24—25[23]) med. et alia Aeneas praecipiat de prohibendis fraudibus eorum, quorum liberi vel propinqui hostibus obsides dati sint, et haec: *ὡς ἥκιστα ἐπὶ σφῶν αὐτῶν διατελεῖν . . . ἔστωσαν δὲ διειλημμένοι εἰς παρατήρησιν· οὕτω γὰρ ἂν διακείμενοι ἥκιστα ἂν δύναιντο νεωτερίσαι*, ipsius cap. XII primis verbis *χρὴ δὲ καὶ συμμάχων εἰς τὴν πόλιν ἐπηγμένων μήποτε ἅμα διατελεῖν τοὺς συμμάχους, ἀλλὰ διεσκεδάσθαι ὁμοτρόπως τοῖς προειρημένοις* luculenter docetur, statim post X, 25 sequi

[22]) Ita scribendum, iniuria vero § ab Hugio expunctam esse, demonstravi l. l. pag. 127 sq.
[23]) De textu harum §§ constituendo cf. l. l. pag. 75—76; 124 sq. quae explicavi.

debere XII, 1: quod nisi statuitur, *καί* illud vix explicari possit. Aliis vero iam de causis supra (p. 15—16) ostendimus, verba X, 25 med. *ἔτι τοίνυν κ. τ. λ.* — 26 ab eo, quem in cod. Med. tenent, loco amovenda et post X, 14 ponenda esse. Deinde equidem suspicor, cap. XII et XIII in falsum locum translata esse, postquam cap. XVII sede sua depulsum est: nam aequa fere magnitudine capp. XII—XIII et XVII sunt. Quo vero modo sit factum, ut duae illae partes inter se commutarentur, si quaeres, codicis Med. quae sit natura, contempleris. Cuius multa variaque menda et vitia non neglegentiae tantum et inscientiae librariorum videntur tribuenda esse, sed ipsa monstrare, codicem archetypum, unde Mediceus fluxit, sive archetypi archetypum mancum mutilatumque fuisse. Nam, ut multas illas minores lacunas, quae in cod. Med. exstant, omittam, tota altera pars commentarii poliorcetici, quae erat de urbe navibus defendenda, excidit: cf. extrema verba: *ἐπεὶ δὲ ταῦθ' ἡμῖν εἴρηται, περὶ ναυτικῆς τάξεως δίειμι. Ναυτικοῦ δὲ στρατεύματος δύο εἰσὶ στόλοι . .* (reliqua deperierunt). Accedit, quod capitum ordinem turbatum esse videmus, non tantum capitum X—XVII, sed etiam aliorum, de quibus postea exponemus. Quae cum ita sint, vix a vero aberrare mihi videor suspicans, aliquam partem schedarum archetypi, unde fluxit cod. Med., vel antiquioris cuiusdam codicis, unde Medicei archetypus derivatus est, refixam avulsamque fuisse, earumque schedarum alias atque eas quidem, quibus extrema commentarii pars (de bello navali) continebatur, deperiisse, alias, eas videlicet imprimis, quibus capita XI—XIII, XVII atque, ut hoc statim praemittam, XXIX—XXXI, de quibus mox agemus, continebantur, servatas quidem, sed alienos in locos detrusas nec raro, id quod schedis avulsis eo facilius accidere poterat, damno affectas esse. Hoc modo inter sese commutatas puto eam schedam, quae capita XII—XIII continebat, et eam, quae cap. XVII continebat: hanc librarius aliquis, qui turbatum schedarum ordinem restituere studebat, cum cap. XVII quoque de *ἐξόδοις* agatur, post cap. XVI posuit, quod et ipsum ad *ἔξοδον* — etsi toto genere diversam — spectat; loco autem capitis XVII post cap. XI schedam illam olim ante ipsum cap. XI positam inseruit, qua capita XII—XIII continebantur, quae et ipsa ad tales homines, qui obsessis insidiari possint, spectant, quamquam non ad cives, ut cap. XI, sed ad socios vel mercennarios.

Sic igitur ab ipso Aenea capita X—XVII ordinata fuisse existimo:

X de mancipiis iumentisque apud finitimas gentes collocandis, liberis civibus ex agris in urbem deducendis, frumentis comportandis, de disciplina publica severius exercenda.

XII de sociis vel mercennariis, qui in urbe versantur, inter se separandis, ne cives opprimere possint.

XIII de mercennariorum et conducendorum et alendorum tutissima ratione.

XI. XVII [praeterea XXIX—XXXI] de evitandis fraudibus eorum civium, qui novis rebus student.

XIV de plebis animis conciliandis et de concordia civium constituenda.

Quae omnia cum ad priorem commentarii partem idque tempus pertineant, ubi bellum urbi imminet necdum hostes irruperunt,

capp. XV. XVI, 1—15 de auxilio contra hostes praedandi causa fines transgressos ferendo agitur.

Supra iam exposui, XVI, 16—18 ad novam rem Aeneam transiisse et coepisse praecipere, quae fieri oporteret, si hostes non tantum praedandi causa irrupturi, sed ipsam urbem aggressuri ad fines accederent. Aptissime ad eam rerum condicionem quadrat, quod cap. XVIII, olim post ipsum cap. XVI positum, his incipit verbis: *ὅταν δὲ οἱ ἐκπορευθέντες παραγένωνται καὶ δείλη*

γίγνηται, σημαίνειν δειπνοποιεῖσθαι καὶ εἰς φυλακὴν ἰέναι. ἐν ᾧ δὲ οἱ φύλακες εὐτρεπίζονται, ἐν τούτῳ περὶ τῶν πυλῶν ἐπιμελητέον, ὅπως καλῶς κλείωνται· περὶ γὰρ τὰς βαλάνους πολλὰ σφάλματα γίγνεται διὰ τὰς τῶν ἀρχόντων μαλακίας: deinde aliquot proferuntur exempla fraudum a portarum custodibus commissarum. Verba *οἱ ἐκπορευθέντες* spectant ad eas copias, quae XVI, 16 iussae erant *ἐναντιοῦσθαι τοῖς ἐπιχειροῦσι καὶ βουλομένοις πρὸς τὴν πόλιν προςιέναι.*

Longe aliter Mosbachius de cap. XVIII statuit pag. 32 extr.: „Neque de eis cogitari potest, qui auxilii ferendi causa ex urbe profecti sunt, nam praeterquam quod longius absunt quae de eis disputavit Aeneas, nostro loco quidam dicti videntur, qui interdiu foris versati ubi coepit advesperascere in urbem sese recipiunt: id quod non in omnes eos cadere apparet qui opitulandi causa in agros procurrerint." — Sed primum quidem, quoniam Mosbachio ipso iudice cap. XVII ab eo loco, quem tenet, removendum est, tantum abest, ut „longius absint", quae cap. XVI Aeneas praecipit, ut ante ipsum cap. XVIII posita sint. Deinde ii, qui opitulandi causa egressi sunt, et ipsi „interdiu foris versati" sub vesperum in urbem revertuntur. — Pag. 33 pergit ille: „. . restant ei tantum, quos VII, 1 memoravit: alios oppidanos, qui hostibus prope versantibus aliqua de causa urbe decederent, vidimus nullos". — Mira profecto argumentatio! Nolim Mosbachio obicere, multo etiam longius, quae de iis, qui messis faciendae causa foris versantur, cap. VII Aeneas disputavit, abesse a cap. XVIII quam cap. XVI praecepta: id unum dico, si cap. XVIII commemorentur *οἱ ἐκπορευθέντες*, multo aptius has voces ad eos referri, qui in praecedente cap. XVI — nam XVII huc non pertinet — egressi esse dicti erant, quam ad cap. VII, quo si illa verba referenda essent, profecto Aeneas apertius indicare debuit. Qui vero non statuit, vocabula *οἱ ἐκπορευθέντες* ad eas copias spectare, de quibus cap. XVI agebatur, is certe cum Hugio (praef. edit. pag. IX), ea de omnibus intellegere debebit, qui qualibet de causa ex urbe interdiu profecti sunt. — Sequuntur apud Mosbachium haec: „In eos autem qui messis faciendae causa foris versati ad vesperum revocantur in urbem, optime quadrant verba XVIII, 1 ita comparata, ut ad homines sub vesperum si non una at simul revertentes spectare videantur". — Sed nonne multo melius quadrant in copias eductas, quae sub vesperum sive „si non una at simul" seu et una et simul revertuntur? — Nec rectiora sunt, quae deinde Mosbachius profert: „Sed ne nimis confidamus opinione, argumentum adhibeamus quo refutetur Hugii explicatio. Nam ut sint XVIII, 1 dicti homines qualibet de causa ex urbe egressi, ubi redierunt prorsus idem praecipitur quod tum fieri iussit cum ex agris homines revocati sunt. Quid igitur? Credisne eum qui VII, 3 scripserit haec *ἐπειδὰν δὲ τούτοις* (sc. *τοῖς γλιχομένοις τοῦ καρποῦ* § 1) *σημανθῇ ἀπιέναι, οὕτως τοῖς ἐν τῇ πόλει σημαίνειν δειπνοποιεῖσθαι. τὸ δὲ τρίτον σημαίνειν εἰς φυλακὴν ἰέναι* — eundem postea alia occasione eisdem fere uti verbis hisce *ὅταν δὲ οἱ ἐκπορευθέντες παραγένωνται — σημαίνειν δειπνοποιεῖσθαι καὶ εἰς φυλακὴν ἰέναι*". — (Quae ideo nolui praetermittere, quod nostrae quoque explicationi adversari videri possint.) Quasi non possit simile praeceptum diversis occasionibus dari! An qui revocatis iis in urbem, qui messis faciendae causa foris versati erant, iussit *σημαίνειν δειπνοποιεῖσθαι. τὸ δὲ τρίτον σημαίνειν εἰς φυλακὴν ἰέναι*, idem non potest praecipere reversis in urbem, qui ad propulsandos hostes egressi erant, *σημαίνειν δειπνοποιεῖσθαι καὶ εἰς φυλακὴν ἰέναι*? Ac nonne Aeneas et III, 3 et XXII, 19 [34]) eadem fere praecipit de murorum ascensibus custodiendis, nonne et IX, 1 et XVI, 17 *τόπους τινὰς τῆς χώρας καταλαβεῖν* iubet? Quoniam igitur quae Mosbachius protulit argumenta, ea non satis

[34]) Cf. de hac § l. l. pag. 136—37.

valere demonstravimus, teneamus verba *οἱ ἐκπορευθέντες* referenda esse ad ea, quae proxime antecedunt, XVI, 16—18.

Jam vero, id quod gravissimum est ad refellendam Mosbachii sententiam, non nisi destructo initio cap. XVIII cum cap. VII copulari posse ipse intellexit. Dicit enim: „Qui nobiscum de turbato ordine capitum VIII—XVII consenserint, iam non dubitabunt quin capita VII et XVIII olim sibi continentia fuerint. Primus hoc perspexit Kirchhoffius.... Haec si recte ratiocinati sumus, efficitur ut et VII, 3 et XVIII, 1 ab ipso Aenea scripta esse negemus: alter locus ex altero ortus est postquam capita VII et XVIII separata sunt. Quodsi quaerimus utrum verba XVIII, 1 ex VII, 3 fluxisse putanda sint an verba VII, 3 a librario conficta esse, malim illa *ὅταν δὲ οἱ ἐκπορευθέντες παραγένωνται καὶ δείλη γίγνηται, σημαίνειν δειπνοποιεῖσθαι καὶ εἰς φυλακὴν ἰέναι* pro additamento habere, atque ea quae VII, 3 dicta sunt servare. Nam — ut non dicam ad fidem pronius esse posteriorem locum ex priore compositum putare — postquam VII, 2 dictum vidimus *σημαίνεσθαι ὅπως πάντες ἢ οἱ πλεῖστοι παραγίγνωνται εἰς τὴν πόλιν*, haereremus, opinor, aliquo modo, si statim subsequeretur: *ὅταν δὲ οἱ ἐκπορευθέντες παραγένωνται*, quibus verbis sententia subesse videretur semper omnium reditum exspectatum esse (contra VII, 3 *ἐπειδὰν δὲ τούτοις σημανθῇ ἀπιέναι*). Deinde cum de tempore iam dictum sit VII, 2 *ἅμα ἡλίῳ δύνοντι* languide repeteretur paucis versibus post eiusdem temporis significatio *ὅταν δείλη γίγνηται*. Eis autem quae VII, 2 leguntur (*πρῶτον μὲν . . .*) magis respondere videntur quae sequuntur VII, 3, ut opponatur primo signo alterum et tertium. Quamquam omnibus numeris absolutam orationem non esse supra monuimus." — Haec vero argumentandi ratio, qua Mosbachius utitur, ut primum suo arbitrio, nullis certis causis, capitum ordinem mutet, deinde ex ipso mutato ordine concludat, prima cap. XVIII verba delenda esse, dedecet prudentem cautumque criticum. Nam quas ille sibi videtur deprehendere ineptias, eas ipse procreavit capite VII ante cap. XVIII posito. Contra qui cap. VII eo, quo traditum est, loco retinuerit, is intelleget, et optime verba XVIII, 1 in suum locum quadrare et interesse aliquantum inter ea et VII, 3, quoniam ad diversam rerum condicionem spectant. Teste utor ipso Mosbachio, cum dicat: „postquam VII, 2 dictum vidimus *σημαίνεσθαι ὅπως πάντες ἢ οἱ πλεῖστοι παραγίγνωνται εἰς τὴν πόλιν*, haereremus, opinor, aliquo modo si statim subsequeretur: *ὅταν δὲ οἱ ἐκπορευθέντες παραγένωνται*, quibus verbis sententia subesse videretur semper omnium reditum exspectatum esse." Exspectatur autem XVIII, 1 revera reditus omnium earum copiarum, quae XVI, 16—18 confligere cum hostibus iussae sunt. Cum igitur ille sua ipse vineta caedat, quoniam apte coniungi non posse confitetur, quae coniungenda statuit, capp. VII et XVIII, nos non habemus, quod haereamus in capp. XVI et XVIII conexu aptissimo.

Cum cap. XVIII artissime cohaerent XIX et XX, quae et ipsa ad portas claudendas fraudesque custodum portarum evitandas pertinent. Cap. XX extrema verba sunt: *ὅταν δὲ αἱ πύλαι κλεισθῶσι, τοῖς φύλαξι σύνθημα καὶ παρασύνθημα δόντα ἐπὶ τὰ φυλακεῖα διαπέμψαι.* Deinde cap. XXI verbis [35]) *περὶ δὲ φυλάκων καταστάσεως καὶ περιοδειῶν καὶ πανείων καὶ συνθημάτων καὶ παρασυνθημάτων τὰ μὲν πολλὰ ἐν τῇ Στρατοπεδευτικῇ βίβλῳ γραπτέον, ὀλίγα δὲ αὐτῶν καὶ νῦν δηλώσομεν.*, Aeneas significat, quae proximis capitibus XXII—XXVII sit tractaturus. Capitis XXII prima verba *νυκτοφυλακεῖν ἐν μὲν τοῖς κινδύνοις προςκαθημένων ἤδη ἐγγὺς τῶν πολε-*

[35]) De quibus cf. quae protuli l. l. pag. 4 ann. 5; pag. 90; pag. 172; de interpolata § 1 cf. Hugii proll. critt. pag. 23—24 et quae adieci l. l. pag. 162.

μίων πόλει ὧδε, ostendunt, iam eam rerum condicionem scriptori ante oculos versari, ubi hostes ante moenia consederint urbemque obsidere coeperint. Idem docent e. gr. verba § 5 ἐν γὰρ τῷ δι' ὀλίγου φυλάσσειν ἥκιστ' ἂν .... δύναιτό τις πρᾶξαί τι πρὸς τοὺς πολεμίους. 7 οὕτω γὰρ ἂν ἥκιστά τις δύναιτο τοῖς ἔξω προδιδοὺς δηλοῦν τι ἢ προςδέξασθαι παρὰ τῶν πολεμίων. 11 τοὺς δὲ προφυλάσσοντας ἀντιπροςώπους ἀλλήλοις ἑστάναι· οὕτω γὰρ .. ἥκιστ' ἂν ὑπό τινων ἀγρευθεῖεν λάθρα προςελθόντων. §§ 12—14 ἐν δὲ ταῖς χειμεριναῖς καὶ σκοτειναῖς νυξὶν ἄλλην καὶ ἄλλην αὐτοὺς λίθους βάλλειν εἰς τὸ ἔξω μέρος τοῦ τείχους, καὶ ὡς δὴ ὁρωμένους τινὰς ἐπ' αὐτῶν ἐρωτώντων τίνες εἰσίν· ἀπὸ ταὐτομάτου γὰρ ἂν γνωσθεῖέν τινες προςπελάζοντες ... οἱ δέ τινες τοῦτό φασι βλαβερὸν εἶναι· τοὺς γὰρ προςιόντας τῶν πολεμίων ἐν τῷ σκότει προαισθάνεσθαι ὅτι οὐ προςιτητέον ἐστί. ἄριστον δ' ἐν ταῖς τοιαύταις νυξὶν ἔξω τοῦ τείχους κύνας προςδεδέσθαι νυκτερεύοντας, οἵπερ ἐκ πλείονος ἐμφανιοῦσι τὸν ἐκ τῶν πολεμίων κατάσκοπον προςπελάζοντα τῇ πόλει λαθραίως ἢ τὸν πειρώμενον αὐτομολεῖν. 21 δεῖ τὰς νύκτας λύχνα καίεσθαι ἐν λαμπτῆρσιν, ἵνα καθ' οὓς ἄν τι προςπελάζῃ πολέμιον, ἄρωσι τῷ στρατηγῷ τὸν λαμπτῆρα κ. τ. λ. Praecipit autem Aeneas cap. XXII, quomodo vigiliae disponendae instituendaeque sint. Singula perlustrare supersedeo, quoniam nemo adhuc dubitavit, quin capp. XVIII—XXII optime inter se cohaereant.

Cap. XXIII ad eandem, ad quam cap. XXII, rerum condicionem, videlicet urbem obsessam ab hostibus pertinere, ipsa Aeneae praecepta luculentissime demonstrant: ἐπεξόδους δὲ ποιούμενον λαθραίους ἐν νυκτὶ τοῖς προςκαθημένοις πολεμίοις τάδε προνοεῖν. πρῶτον μὲν φυλάξαι ὅπως μή τις ἐξαυτομολήσῃ· ἔπειτα φῶς ὑπαίθριον μηδὲν εἶναι, ἵνα μὴ ὁ ὑπὲρ τῆς πόλεως ἀὴρ πυρωδέστερος ὢν τοῦ ἄλλου ἐκφήνῃ τὸ μέλλον. τούς τε τῶν κυνῶν ὑλαγμοὺς καὶ τῶν ἀλεκτρυόνων τὰς φωνὰς ἀφανίζειν τόνδε τὸν καιρόν, ἐπικαύσαντά τι τοῦ σώματος· καὶ γὰρ αἱ τούτων φωναὶ πρὸ ὄρθρου[36]) φθεγγομένων ἐκφανοῦσι τὸ μέλλον. Sequuntur §§ 3—5 complura exempla hostium subita nocturna eruptione ab oppidanis oppressorum. Deinde § 6 praecipit haec: οὐ μὴν οὐδ' ἐν ταῖς νυξὶν ἀσκέπτως μετ' ὄχλου ἐκπορευτέον. οἷα καὶ ἐν τοῖς τοιούτοις καιροῖς τῶν ἐπιβουλευόντων τινὲς τεχνάζουσιν, οἱ μὲν ἔσω τῆς πόλεως, οἱ δὲ καὶ ἔξωθεν, προςάγεσθαι βουλόμενοι τοιοῖςδε ἀπατήμασι, πυρσεύσαντές τι ἢ ἐμπρήσαντες νεώριον ἢ γυμνάσιον ἢ ἱερὸν πάνδημον ἢ δι' ὅπερ ἂν ἔξοδος γένοιτο πλήθους ἀνθρώπων οὐ τῶν τυχόντων. Tum §§ 7—11 exemplum profert urbis fraude magistratuum, qui falso rumore de praedatorum nocturna incursione divulgato cives, ut statim contra eos proficiscerentur, commoverint, oppressae. De qua tota narratione ab Hugio interpolatori tributa cf. quae contra illum exposui l. l. pag. 167—70.

Jam priusquam ad ea convertamur, quae Mosbachius de hoc capite explicavit, liceat commemorare, cap. XXIV agi de tesseris (συνθήμασι), cap. XXV de tesseris mutis (παρασυνθήμασι), cap. XXVI de circuitionibus (περιοδείαις), XXVII de subitis terroribus (πανείοις): quae cum omnia ad urbem noctu custodiendam tuendamque pertineant, nemo contendit, non bene ea inter se cohaerere.

Mosbachius pag. 40 Aeneam non potuisse cap. XXIII interponere inter XXII et XXIV—XXVII his verbis comprobare studet: „Cap. XXII de ipsis vigiliis est et quae cap. XXIV de tesseris exponuntur et ipsa ad vigilias spectant. Qui vero fieri potuit, ut scriptor primum enumeraret satis apte praecepta de custodiis per urbem et muros disponendis, deinde repente ac praeter exspectationem

36) Med. φωναὶ ὄρθρου φθεγγόμεναι: de illa mea coniectura sicut de tota § 2 cf. l. l. pag. 91—93.

moneret, ne quae temere fierent noctu ex urbe eruptiones, tum necopinato continuaret disputationem de vigiliis explicans quomodo custodes facillime dignoscerentur? Huc accedit, quod cap. XXIII [per errorem Mosb. XXII] ne verbo quidem vigiliarum mentionem factam videmus. Postremo illud animadvertendum est, quod XXI, 2, quo loco breviter significavit Aeneas quibus de rebus disserere vellet, eruptionum commemoratio plane deest. Quibus omnibus causis adducor ut cap. XXIII ab Aenea inter cap. XXII et XXIV positum non esse sed per errorem eo irrepsisse credam.“ — Sed animadvertas, velim, Aeneam, postquam cap. XVIII—XX praecepit, quae sub solis occasum (ὅταν δείλη γίγνηται XVIII, 1) fieri oporteret, capp. XXII—XXVII docere, quae noctu ad urbem ab hostibus obsidentibus defendendam custodiendamque sint facienda. Cum vero quae de ἐπεξόδοις λαθραίοις ἐν νυκτί dicit, ea et ipsa pertineant ad urbem noctu defendendam, cap. XXIII praecepta non nisi loco aliquo inde a cap. XXII usque ad XXVII proferre potuit: inter capita I—XXI ideo cap. XXIII inseri non posse, quod ad obsessam urbem spectat, apparet. Deinde συνθήματα, de quibus cap. XXIV agitur, non vigilibus tantum dantur, sed etiam copiis ex urbe egredientibus (cf. XXIV, 14 sq.), ita ut cap. XXIV praecepta recte demum post cap. XXIII collocata sint. Quod denique Mosbachius XXI, 2 non exstare vocem ἐπέξοδος dicit, haud ita magni momenti est: nam primum quidem ibi Aeneam ea, quae in sequentibus capp. tractaturus esset, non eo, quo tractata sunt, ordine enumerasse videmus; deinde nemo hucusque exploravit, num in Στρατοπεδευτικῇ βίβλῳ, Aeneas de ἐπεξόδοις λαθραίοις quoque egerit: ea autem tantum ille XXI, 2 enumerat, de quibus accuratius explicatur in Στρατοπεδευτικῇ βίβλῳ; quae denique est cod. Med. natura, etiamsi Aeneas vocem ἐπεξόδων ibi posuerit, aeque ac tot aliae perfacile excidere potuit.

Pergit Mosbachius: „Sed antequam de vera sede capitis XXIII cogitamus, inquirendum est qua ratione singula praecepta inter semet ipsa cohaereant. Atque quas res scriptor §§ 1—5 complectitur, ordine ac ratione coniunctas esse nemo non videt, nec minus dubitandum, quin illud quod initio § 6 exstat οὐ μὴν οὐδ' ἐν ταῖς νυξὶν ἀσκέπτως μετ' ὄχλου ἐκπορευτέον optime additum sit: tenendum autem, hanc disputationem esse de eruptionibus faciendis in hostes qui ante muros consederint (§ 1: ἐπεξόδους .. τοῖς προςκαθημένοις πολεμίοις). Sed quae deinceps dicta videmus, quae supra exscripsi, non ita facilia sunt ad intellegendum. Nempe οἷα illud non habet quo referatur, quare Herchero ante hanc vocem nonnulla excidisse videbantur. Sed equidem existimo huius loci gravius esse vulnus quia, etiam si Hercherum sequimur, incommodum quoddam restat quod ferri non potest. Illud quidem dubitandum non est, quin § 6 cum §§ 7—11 cohaereat, quia apertum consilium scriptoris fuit, ut exemplo comprobarentur (7—11) quae generaliter dicta erant (6) de fraudibus eorum qui oppidanos ad exitum temere faciendum allicere conantur. Langius (l. l. pag. 169) elucere dicit quae de magistratibus narrentur noctu gesta esse, cui ego assentior propter ea potissimum quae § 6 dicuntur. Cum nihil igitur impediat temporis diei ratio quominus §§ 6—11 potuisse coniungi cum § 1—5 putemus, alia tamen obstant. In priore parte capitis disputatur de eruptionibus (ἐπέξοδοι) in hostes obsidentes factis (τοῖς προςκαθημένοις πολεμίοις): §§ 7—11 nulli ante muros sunt hostes, sed occurritur (σπεύδειν εἰς βοήθειαν) eis qui in agros incurrerunt (τοῖς ἐμβεβληκόσι πολεμίοις). Nec vero audiendus est Langius, qui (l. l. pag. 168) verbis οὐ μὴν οὐδ' ἐν ταῖς νυξὶν ἀσκέπτως μετ' ὄχλου ἐκπορευτέον Aeneam dicit non solas ἐπεξόδους in hostes obsidentes respicere, sed omnes nocturnas expeditiones, quemcunque ad finem suscipiantur.

Qui ut hoc probaret, ad reliqua § 6 verba (*οἷα — τυχόντων*) iniuria provocavit [27]. Neque enim neglegendum erat Hercheri iudicium et verba ipsa *οὐ μὴν — ἐκπορευτέον* accuratius inspicienda. Quae cum respicere appareat ad aliud praeceptum, quo moneatur ne interdiu oppidani temere ex urbe proficiscantur, referenda sunt ad ea quae XV, 5 exstant: *πρὸ δὲ αὐτῶν* (sc. *τῶν ἐκπορευομένων*) *δεῖ πρώτους τοὺς ὑπάρχοντας ἱππέας καὶ κούφους ἐξιέναι, μηδὲ τούτους ἀσκέπτως, ἀλλὰ προεξερευνῶντάς τε καὶ προκαταλαμβάνοντας τὰ ὑψηλὰ τῶν χωρίων, ἵν' ὡς ἐκ πλείστου προειδῶσιν οἱ ὁπλῖται τὰ τῶν πολεμίων καὶ μηδὲν ἐξαίφνης αὐτοῖς προσπέσῃ*. Quod si ita est nostro quoque loco Aeneas monere voluit ne ab hostibus quid detrimenti noctu acciperent oppidani sua ipsorum neglegentia, id quod plane convenire vides cum eis quae antecedunt: sed quae deinceps leguntur §§ 6 (*οἷα*) — 11 de solis civium fraudibus sunt. Haec autem difficultas ne eo quidem evitatur, quod intercidisse nonnulla creduntur. Quid multa? duae sunt partes, quas olim seorsim positas librarius coniunxit, altera §§ 1—6 (*ἐκπορευτέον*), altera §§ 6 (*οἷα*) — 11.“

Mosbachii *πρῶτον ψεῦδος* in eo positum est, quod Hercheri auctoritate in errorem perductus discidit § 6, quae divellenda non est. Minime enim aliquid excidit ante *οἷα* vocem, sed aeque bene ea „habet, quo referatur“ atque e. gr. XXIV, 3 ubi legimus: *ἐν μιγάσιν οὖν ξένοις οὐ δεῖ τὰ τοιαῦτα παραγγέλλειν οὐδὲ ἐν ἔθνεσι συμμάχοις, οἷον Χαριδήμῳ Ὠρείτῃ περὶ τὴν Αἰολίδα συνέβη κ. τ. λ.* Utroque loco facillime e rerum conexu additur haec sententia: „si quis neglexerit hoc praeceptum, calamitate affici poterit“ (sicut accidit iis, de quibus iam narrare incipit scriptor).“ Artissime igitur ea § 6 pars, quae post vocem *οἷα* exstat, cohaeret cum priore parte *οὐ μὴν οὐδ' ἐν ταῖς νυξὶν ἀσκέπτως μετ' ὄχλου ἐκπορευτέον*, quoniam posteriore illa parte Aeneas profitetur, quibus causis commotus id, quod priore parte continetur, praeceptum dederit. Qui vero alteram § partem ab altera divellit, totum sententiarum conexum tollit. Quae cum ita sint, sequitur primum, ut recte equidem et iudicaverim, Aeneam verbis *οὐ μὴν — ἐκπορευτέον* omnes nocturnas expeditiones, quemcunque ad finem suscipiantur, respicere, et ad confirmandum hoc iudicium provocaverim ad reliqua § 6 verba: deinde ut falso Mosbachius de §§ 6—11 sede statuerit: qui cum prima § 6 verba apte cum iis, quae antecedunt, coniungi existimaret, reliquas omnes §§ eodem loco debebat ponere, ubi §§ 1—6 in. Neque enim dubitavit, quin §§ 7—11 artissime cohaererent cum § 6; quoniam autem § 6 posterior pars et ipsa a priore divelli nequit, ergo §§ 6—11 eodem, quo §§ 1—5, pertinent. Si igitur accuratius ipse Mosbachius locum inspexisset, perperam de eo non statuisset neque ad cap. XV confugisset, ut haberet, quo referret verba *οὐ μὴν — ἐκπορευτέον*, neque de hostibus cogitasset, ubi civium insidias respici luce fere est clarius propter ea, quae statim sequuntur. Nam summi profecto momenti ad unumquemque locum interpretandum ea sunt, quae proxime et antecedunt et sequuntur.

Sed videamus, quae praeterea ille protulerit de cap. XXIII. Dicit pag. 42: „De vera prioris partis (§ 1—6 in.) sede facile est iudicium: addenda est cap. XV. Nam eis quae disputata sunt de civibus qui signo dato ex urbe egressi adversus hostes proficiscuntur, optime adiunguntur praecepta de clandestinis eruptionibus noctu faciendis“. — At quantum interest inter cap. XV et XXIII! Cap. XV Aeneas praescribit, quomodo *βοήθεια* instituenda sit adversus hostes qui praedandi

[27]) Cf. quae infra exstant. Alteram causam l. l. a me prolatam neglexit Mosbachius: cum enim Aeneas de eruptionibus obsessorum in hostes obsidentes factis semper in §§ 1—5 verbis *ἐπέξοδος, ἐπεξελθεῖν* utatur, in §§ 6—11, quae ad cuiusvis generis expeditiones nocturnas spectant, simpliciter dicit *ἔξοδος, ἐκπορεύεσθαι*.

causa finem transgressi sint, procul ab urbe, nam per nuntios vel ignibus accensis oppidani de hostium adventu certiores fiunt: sat magnum spatium interesse inter oppidum et hostes praedantes ipsis XV, 4—6 praeceptis demonstratur; nihil refert, utrum interdiu an noctu succurratur, immo plerumque interdiu succurretur; minime praecipitur, ut clam hostibus milites urbe egrediantur; egrediuntur autem ad agros agricolasque ab hostibus praedabundis defendendos. Contra in cap. XXIII hostes ante ipsa moenia consederunt (§ 1 *τοῖς προσκαθημένοις πολεμίοις*), tam prope ab urbe, ut etiam canes in urbe latrantes, gallos in urbe canentes audire possent (cf. § 2); agit Aeneas de *ἐπεξόδοις λαθραίοις ἐν νυκτὶ τοῖς προσκαθημένοις πολεμίοις*, clandestinis nocturnisque eruptionibus in hostes obsidentes faciendis, non ad agros agricolasve tuendos, sed ut subito impetu opprimantur hostes; omnium plurimum interest civium, clam hostibus urbe egredi, ut necopinantes dormientesque illos opprimere possint. Nullo igitur modo cap. XXIII cum cap. XV coniungi posse, cum ad rerum condicionem toto genere diversam spectet, quis est qui neget?

Nec melius de §§ 7—11 inepte ab ipso a prioribus §§ divulsarum sede Mosbachius statuit pag. 42 med.: „Quae hic commemoratur *βοήθεια* et ipsa fit in homines qui subito praedandi causa in agros irruperunt — qua de re cap. XVI esse vidimus. Quare mihi quidem veri simile videtur esse Aeneam, cum exponeret quomodo hostibus in agros necopinato invadentibus occurrendum esset, in ea quoque re cavendum monuisse ab eorum sive magistratuum sive civium insidiis, qui novis rebus studerent. Et quoniam post XVI, 15 excidisse nonnulla studui ostendere, eo ipso loco reponenda crediderim quae adhuc post XXIII, 6 manserunt“. — Quo autem modo XVI, 15 verba *εἶεν δὲ ἂν αἱ ἅμαξαι καὶ ἔρυμα ταῖς στρατοπεδείαις, οἵ τε τραυματίαι καὶ εἴ τι ἄλλο γένοιτο σύμπτωμα τοῖς στρατιώταις, ἐπὶ τούτων ἀπάγοιντ' ἂν εἰς τὴν πόλιν*, copulari possint cum verbis *οἷα καὶ ἐν τοῖς τοιούτοις καιροῖς τῶν ἐπιβουλευόντων τινὲς τεχνάζουσι κ. τ. λ.*, a quibus Mosbachius alteram partem cap. XXIII incipere statuit, prorsus me fugit. An lacunam, quae post XVI, 15 videtur statuenda esse, bene expleri his §§ 6—11 ille putat, quas neque ad XVI, 15 neque ad 16 quadrare luce fere est clarius? An aptius Aeneam existimat a magistratuum insidiis ad terrae aditus obstruendos transiturum fuisse quam a curruum usu? Immo, ubi traditae, ibi servandae sunt §§ 6—11. Ut enim in cap. XXII Aeneas, cum doceat, quomodo in urbe obsessa vigiliae instituendae sint, data hac occasione simul § 26 praecipit, quomodo temporibus minus periculosis vel in pace instituendae sint; ut in cap. XXIV, cum de tesseris vigilibus circitoribusque dandis verba faciat, data hac occasione simul §§ 14—15 ostendit, quales tesseras copiis egredientibus dari oporteat; ita in cap. XXIII quoque, postquam de clandestinis nocturnis eruptionibus in hostes obsidentes faciendis egit, data hac occasione simul monet, ne qua omnino nocturna expeditio incaute fiat, quoniam facillime accidere possit, ut ii civium, qui rebus novis studeant, tali tempore rerum potiantur. Atque ut multis aliis locis commentarii sui, quorum alii ad alias rerum condiciones spectant (cf. e. gr. I, 6; II, 1 et 7; III, 3; IV, 2; X, 3; 15; 20; XI. XVII. XXII, 17. XXIX, 3 al.), ita hic quoque Aeneas fraudum insidiarumque alicuius partis civium, qui a ceteris civibus dissident, rationem habet.

Atque illa quidem ratione Mosbachius capitum IV—XXIII ordinem turbatum esse studuit probare, cui non nisi de capitibus XII—XIII et XVII sede mutanda me assentiri posse, sat multis demonstravi; reliqua capita XXIV—XL bene eo, quo in cod. Med. exhibentur ordine, cohaerere existimat. Ut vero intellegas, quonam omnino modo ille capita I—XXIII ordinanda proposuerit,

exscribam, quae de hac re pag. 46—47 dixit; pauca tamen, quae videntur adicienda esse, uncis inclusa addam.

Hunc igitur capitum I—XXIII ordinem Mosbachius[28]) proposuit:

Prooemium.

I. Hostes exspectantur, praeparatur defensio.

A. quae ad urbem ipsam praeparandam pertinent.

quomodo hominum partitio instituenda sit cap. I.

de locis apertis cap. II.

quomodo oppidani subito terrore obsidionis exorto atque etiam in pace ordinandi sint cap. III.

quibus modis urbis securitati consulendum sit cap. X.

de sociis mercennariisque cap. XII. XIII.

de civium fraudibus evitandis et de concordia inter eos constituenda cap. XI. XVII. XIV.

B. quae ad regionem urbis praeparandam pertinent.

quomodo regio urbis praeparanda sit, ut oppidani intra muros se defendant cap. VIII.

* * *

[Sed unde cognovit, ea, quae ad regionem urbis praeparandam pertinent, praecepta demum post capp. X—XIV ponenda esse?]

quae facienda sint, quando necopinato hostes in fines irruperunt cap. XVI, 1—15.

* * *

[At nonne totam hanc primam partem commentarii Mosbachius supra dicit ad id tempus referendam esse, quo exspectentur hostes? Contra XVI, 1—15 ipso illo indice non exspectantur, sed iam irruperunt, adsunt. Porro qua ratione haec praecepta, quae ad hostium irruptionem defendendam spectant, referri posse arbitratur „ad regionem urbis praeparandam?" Prorsus eadem in sequentem particulam XXIII, 6—11 cadunt.]

de fraudibus civium tum evitandis XXIII, 6—11.

* * *

quomodo regio urbis praeparanda sit, ut hostium exspectatorum impetus ante muros propulsentur cap. XVI, 16—22.

II. Hostes versantur in finibus urbis.

quando hostes in agris versantes audacius se gerunt

a. quae praeparanda sint cap. IX.

b. qua ratione ex urbe exire oporteat cap. XV.

de excursionibus clam noctu faciendis cap. XXIII, 1—6.

[Sed haec spectant iam ad hostes, qui ante ipsa urbis moenia castra posuerunt. Qua vero ratione Mosbachius defendere possit, quod demum post haec cap. VI collocavit, (quod ad ἡμεροσκόποις pertinet idoneis ante urbem (prope fines) locis collocandos, ut civibus nuntient, si qui hostes ad fines appropinquent, quot sint, quo contendant), quin etiam cap. VII (quod ad eos pertinet sub vesperum in urbem revocandos, qui messis faciendae causa egressi sunt), prorsus non video.]

[28]) Asteriscis lacunas indicat.

de signis cap. IV.

de custodienda urbe:

a. portarum custodes summa cum diligentia constituere oportet cap. V.

b. interdiu ante urbem custodes disponendi sunt cap. VI + VII, 4.

c. sub occasum solis (postquam oppidani in agris versantes revocati sunt in urbem VII, 1—3 et, dum vigiliae se praeparant XVIII, 1, portae diligenter clausae sunt XVIII, 2 — XX, 4) vigiliae in stationes succedant. cap. XX, 5.

digressio de vigiliis etc. (indicata XXI, 2):

a. de vigiliis ipsis singula praecepta cap. XXII.

Mihi contra minime omnia capita XXIV—XL apte cohaerere videntur, quare iam inspiciamus, quae Aeneas praecipiat inde a cap. XXIV. Capite XXIV, ut supra iam commemoravimus, ostendit, quomodo et vigilibus circitoribusque et copiis proficiscentibus tesserae (συνθήματα) dandae sint; cap. XXV melius esse, illis una cum tesseris signa quoque muta, quibus discernant, qui hostes, qui cives sint, dari; cap. XXVI quomodo circuitiones et militibus et ipsi imperatori instituendae sint; cap. XXVII quomodo subiti terrores, quos πάνεια vocat, quam celerrime tollendi sint. Iam, postquam absolvit, quae de urbe noctu custodienda proferre in animo habebat, Aeneas XXVII, 15 ad urbem interdiu custodiendam, dum hostes ante moenia versantur, transit. Ac primum quidem hac ipsa § de custodibus orta luce stationibus suis deducendis verba facit, deinde cap. XXVIII quomodo cavendum sit, ne portis hostes per dolum et vim potiantur, exponit. Ad qualem vero urbis condicionem cap. XXVIII spectet, etsi Aeneas universe tantum dicit ἐν φόβῳ οὔσης τῆς πόλεως, ipsorum praeceptorum et exemplorum ratione satis aperte ostenditur. Omnes alias portas etiam interdiu clausas, unam, qua parte et difficillimum sit ad urbem accedere et quam longissime, qui appropinquent, conspici possint, apertam esse Aeneas vult, sed ne eam quidem totam, sed particulam tantum, quam ἐκτομάδα vocat, per quam singuli homines et ingrediantur et egrediantur, ne quis lateat aut perfuga egrediens aut speculator intrans; periculosum enim esse, si tota porta iumentorum vel curruum causa aperiatur. Quae importari oporteat, frumentum, vinum, oleum, alia eiusmodi, ea per proximas portas importanda esse. Praesertim cavendum esse, ne mane incaute portae aperiantur, nec quemquam emittendum, nisi locis circa urbem exploratis; nec ullam navem prope portam appellendam esse, sed aliquanto longius a porta, cum etiam interdiu saepe oppida adversariorum dolis oppressa sint, cuius rei duo exempla affert, Clazomenas a Pythone, Parium ab Iphiade Abydeno capta. Quae omnia profecto ita comparata sunt, ut non tam ad urbem, cuius in finibus tantum hostes versentur — nam cap. XVIII, quod ad hanc rerum condicionem pertinet, minime omnes portas clausas esse interdiu, sed vespere demum claudi, ipsa Aeneae verba: ἐν ᾧ δὲ οἱ φύλακες εὐτρεπίζονται, ἐν τούτῳ περὶ τῶν πυλῶν ἐπιμελητέον, ὅπως καλῶς κλείωνται, docent — quam ad urbem obsessam ab hostibus videantur referenda esse: nam tam prope ab urbe absunt hostes, ut quolibet temporis momento portis potiri possint, si incautius agant obsessi.

Omnia igitur, quae inde a cap. XXII usque ad cap. XXVIII Aeneas praecipit, ad eandem urbis condicionem spectant, obsidionem ab hostibus ante ipsa moenia versantibus inceptam.

Cap. XXIX autem ineunte sequuntur haec: *περὶ δὲ τῶν εἰςκομιζομένων εἰς τὴν πόλιν ἀγγείων τε καὶ φορημάτων νῦν δηλωθήσεται. ἅπερ εὐλαβεῖσθαι δεῖ καὶ μὴ ἀφροντίστως αὐτῶν ἔχειν, καὶ μάλιστα τὸν πυλωρὸν ἔν τισι καιροῖς, ὅταν ἔξωθέν τι ἢ ἔσωθεν φοβερὸν ᾖ.* Ultima verba nihil aliud significare quam: „sive ab eis, qui extra urbem versantur, sive a civium aliqua parte periculum imminet", in promptu est. Referenda igitur sunt ad eam urbis condicionem, quae est a primo usque ad XIV caput. Accedit, quod nullum in toto capite inest vocabulum. quod ad urbem obsessam ab hostibus possit referri: neque narrationes, quas scriptor ad illustranda praecepta sua adhibet, ad bellum spectant, sed ad urbes in pace fraudibus alicuius partis civium, qui coniuraverunt cum aliis hominibus — exsulibus, ut videtur — extra urbem versantibus captas: neque quod in extremo cap. naves, quae appelluntur, accurate perquiri iubet, ne quid periculosi illis advehatur, ad aliam condicionem spectat atque periculum urbi a civibus coniuratis imminens, qui arma clam aliis civibus importare student. Nec praeterea cap. XXIX praecepta cum cap. XXVIII cohaerent: nam illic Aeneas cives monet, ne portis incaute apertis vehiculisve propius ad eas advectis efficiatur, ut hostes, qui proxime ab urbe absunt, dolo iis potiri potitique in urbem penetrare possint, sicut Pythonem Clazomenas, Iphiadem Parium oppressisse narrat: contra hic, ut caveant, ne qui cives rerum novarum cupidi in vasis sarcinisque, quae in urbem importentur, arma clam importent, quibus socios coniurationis armare itaque rerum potiri possint.

Artissime autem cum cap. XXIX cohaerere cap. XXX, primis huius verbis demonstratur: *προνοεῖν δὲ καὶ τὰ ἐπὶ πράσει εἰςαγόμενα καὶ εἰς τὴν ἀγορὰν ἐκτιθέμενα ὅπλα τά τε ἐπὶ τῶν καπηλείων καὶ παντοπωλείων, ὅπως μηδενὶ ἕτοιμα ᾖ τῶν βουλομένων νεωτερίζειν*: nam haec quoque ad eorum, qui novis rebus student, fraudes prohibendas pertinent.

Eodem, quo capita XXIX—XXX, caput XXXI [29]) spectat: nam hoc quoque ad *τὰ εἰςκομιζόμενα*, epistulas videlicet, quae occulte in urbem mittuntur, pertinet. Multas variasque rationes Aeneas proponit epistularum clam mittendarum. Quo vero consilio id facit? Ad quam urbis condicionem cap. XXXI est referendum? Ipse quidem nihil de consilio suo dixit, sed haec tantum in initio capitis posuit: *ἐπιστολῶν δὲ κρυφαίων παντοῖαι μέν εἰσι πέμψεις, αἱ δὲ μάλιστα λανθάνουσαι τοιαίδε ἂν εἶεν.* Quodsi consideramus, cap. XXIX, cui cap. XXX appendicis

[29]) Quod ad eam narrationem spectat, quam post XXXI, 9 Hercherus Hugiusque delent, mihi quidem ab ipso Aenea post § 5 videtur adiecta fuisse, ut ostendat, quanto cum damno neglegentium praeceptum §§ 4—5 neglegatur: cf. l. l. pag. 85 sq. Ceterum falso Hugius (ann. phill. l. l. pag. 248) iudicat, §§ 1—3 eandem esse condicionem ac § 4: nam cum et in §§ 1—3 et in omnibus aliis huius capitis exemplis praeceptisque semper epistula in eo, quod deferendum nuntio mandatur, insit, §§ 4—5 clam ipso nuntio ea, quae periculum ferre possunt, deferuntur, clam ipso et insuuntur et promuntur ex calceamentis, palam mandantur, quae unusquisque inspicere potest nullo cum damno nec eius, qui misit nuntium, nec eius, ad quem missus est. Ipse autem verbis pag. § 86: „Neque vero poterit (sc. Hercherus) docere, quonam consilio illa interpolator hicce (post § 9) apposuerit, quippe quibus non de nova ratione litterarum secreto mittendarum, sed de fraude nuntii agatur", idem significavi quod Hugius verbis: „In der von Hercher gestrichenen erzählung ist aber von ganz gewöhnlichen briefen, die von jedem gelesen und verstanden werden können, und von einem ganz gewöhnlichen transport derselben durch einen boten die rede, der freilich den verräter macht."
In § 14 extr. quae tradita sunt, iniuria Hercherum eiecisse, contra ea retinenda esse vocabulo *λέγεται* in *ἀγαθὸν* mutato, expunctis verbis *παρὰ τὸν πεμπόμενον* l. l. pag. 88—89 demonstravi. Neque vero quae Hugius ad Hercheri sententiam confirmandam l. l. pag. 255—56 protulit, quidquam valent, quoniam ipse negare non potest, et aliquo modo diversam esse eam, quae his verbis commendatur, rationem litterarum secreto mittendarum ab ea, quae § 15 praecipitur, et simpliciorem.

quasi loco adiectum est, Aeneam monuisse, ut cives caverent, ne in cistis, vasis, sarcinis, quae in urbem importarentur, arma, quae coniuratis usui esse possent, clam inferrentur, cap. XXXI exemplorum praeceptorumque multo maiore parte eam epistularum occulte mittendarum rationem contineri, ut epistula in vasis aliisque rebus palam portandis occultetur, summam argumenti similitudinem inter utrumque caput esse elucet: in utroque cavendum esse dicit Aeneas, ne in vasis sarcinisque palam importatis insint, quae urbi perniciosa esse possint, illic arma, hic epistulae; in utroque insidiae fraudesque alicuius partis civium, qui novis rebus student, scriptori ante oculos versantur; in utroque summa diligentia perquiri oportet, quidquid importatur. At, dixeris forsitan, itane agit Aeneas in cap. XXXI, ut praecipiat, quomodo epistula occultanda, non, quomodo quaerenda sit? Sane, modo ne putaveris, proditoribus illum praecepta dare in animo habuisse: nam omnia totius commentarii poliorcetici praecepta ad urbem defendendam tuendamque spectant. Postquam autem cap. XXIX in. praecepit, ut, quidquid in urbem importaretur, accuratissime perquireretur a custodibus portarum, iam cap. XXXI quomodo litterae in his vel illis vasis aliisque eiusmodi rebus occultari possint, docet eo consilio, ut caveant oppidani, ne qua ratione epistulae secreto importentur. Simillimum est, quod in cap. XVIII, ubi de fraudibus custodum portarum evitandis agit, cum praecepisset, ut caveret imperator, ne dolo usus custos portae pessulum protraheret ex pessuli foramine, § 6 post verba *ἔτι δὲ καὶ θερμαστρίῳ λεπτῷ ἐξηρέθη* statim exstant haec: *χρὴ δὲ τοῦ θερμαστρίου τὸ μὲν ἓν μέρος εἶναι οἷον σωλῆνα, τὸ δὲ ἕτερον πλατύ, ὥςτε τῷ μὲν σωληνοειδεῖ ὑπολαμβάνειν τὴν βάλανον, τῷ δὲ πλατεῖ ἐπιλαμβάνειν*, et quod § 22 et cap. XIX quoque, quae ad eorundem custodum portarum fraudes pertinent, ita agit Aeneas, quasi proditori quid faciendum sit, praecipiat: neque tamen potest dubitari, quin Aeneae in animo fuerit monere imperatorem, ne tales dolos fraudesque, quales ipse forma praeceptorum usus profert, neglegat. — Quodsi ipso rerum conexu eo adducimur, ut statuamus, capita XXIX—XXXI certam atque absolutam aliquam particulam commentarii poliorcetici continere, quae sit de rerum in urbem importandarum accuratissima pervestigatione et custodia, hoc nostrum iudicium firmatur ipsis Aeneae verbis in cap. XXXI extr. positis: *περὶ τὴν τῶν τοιούτων ἐπιμέλειαν τῷ πυλωρῷ ποιητέον ὡς ἂν μηθὲν* (sic) *λανθάνηται εἰς τὴν πόλιν εἰςφερόμενον μήτε ὅπλον μήτε γράμματα.* Quae verba mendosa esse cum appareat, Turicenses pro *τὴν* posuerunt *οὖν*, L. Dindorfius in Thesauri vol. V pag. 99 D. *λανθάνῃ* pro *λανθάνηται* et *γράμμα* pro *γράμματα*. Sed asyndeti molestia facilius tolletur, si loco vocis *τὴν* scribemus *μὴν* (cf. XXIII, 6. XXIX, 12), quam *οὖν*. — *λανθάνῃ* recte Dindorfius restituit, alterum vero, quod corrigere studuit, mendum non tam in vocabulo *γράμματα* latere mihi videtur, quod in ipso cap. XXXI saepius Aeneas adhibet ea notione „litterae, epistula", quam in litteris *ται* plane obscuris, quae post *λανθάνῃ* restant, et in verbo *εἰςφερόμενον*: minime enim dubito, quin pro *ται* scribendum sit *τῶν*, pro *εἰςφερόμενον* autem *εἰςφερομένων* [30]). Paucis igitur litterulis mutatis legendum censeo: *περὶ* [31]) *μὴν τῶν τοιούτων ἐπιμέλειαν τῷ πυλωρῷ ποιητέον* [32]), *ὅπως μηδὲν λανθάνῃ τῶν εἰς τὴν πόλιν εἰςφερομένων, μήτε ὅπλον μήτε γράμματα.* Quibus verbis Aeneas praecepta trium horum capitum XXIX—XXXI concludit, unde aeque

[30]) De litteris *ο* et *ω* saepius in Med. cod. inter se confusis cf. quae dixi l. l. pag. 63.
[31]) Cf. XVIII, 1 *περὶ τῶν πυλῶν ἐπιμελητέον, ὅπως καλῶς κλείωνται.*
[32]) Cf. X, 20 *τῶν ἄλλων τάξεων* (? *ἐξετάσεων* Herch.) *ἐπιμέλειαν ποιητέον.*

atque ex ipso rerum conexu elucet, ea inter se separari non posse, sed artissime cohaerere. Hercherus interpolatori totum illud enuntiatum mendosum tribuendum esse statuit, quippe quo pessime claudantur epistularum secretarum exempla: neque vero perspexit ille vir doctus, *τῷ πυλωρῷ* vocabula referenda esse ad XXIX, 1 *ἅπερ εὐλαβεῖσθαι δεῖ καὶ μὴ ἀφροντίστως αὐτῶν ἔχειν καὶ μάλιστα τὸν πυλωρόν*, sed illa ad cap. XXVIII pertinere arbitratur. Cui etsi assentiremur, vix tamen gravitas momenti, quae inest in illis, mutaretur: nam etsi interpolator ea scripsisset, nihil aliud sequeretur, quam ut ille ipse cap. XXXI iam in eo rerum conexu legisset, ut artissime cohaereret cum praeceptis custodi portae datis de vasis sarcinisque perquirendis, i. e. cum cap. XXIX (eiusque appendice cap. XXX).

Videmus igitur, cap. XXXI artissime cohaerere cum capp. XXIX—XXX, quae ad bellum urbi imminens aliquamque civium partem rerum novarum cupidam pertinent: omnia vero cap. XXXI praecepta et ipsa ita comparata sunt, ut multo melius quadrent ad urbem, cui bellum imminet cuiusque civium aliqua pars coniuravit contra rempublicam, quam ad eam, cuius ante portas hostes consederunt. Accedit, id quod gravissimum est, quod nullo modo cap. XXXI cum cap. XXXII coniunctum est: an dixerit quisquam, apte Aeneam a praeceptis de epistulis clam mittendis pergere ad praecepta de urbe ab hostibus oppugnata hisce verbis: *πρὸς δὲ τὰς τῶν ἐναντίων προσαγωγὰς μηχανήμασιν ἢ σώμασιν ἐναντιοῦσθαι ὧδε?* Immo vero ineptissime tota haec commentarii poliorc. particula, capp. XXIX—XXXI, quae est de custodiendis perquirendisque iis, quae in urbem importantur, ad prohibendos eorum civium, qui novis rebus student, dolos fraudesque, inculcata est inter capp. XXII—XXVIII, quae ad urbem obsessam, et capp. XXXII—XL, quae ad urbem oppugnatam ab hostibus pertinent. Contra aptissime cap. XXVIII, ubi agitur de hostium dolis evitandis, ne portis potiantur, cohaeret cum cap. XXXII, quod ad impetus hostium in muros factos, ipsam igitur oppugnationem defendendam (*τὰς τῶν ἐναντίων προσαγωγάς*) spectat.

Quo autem pertinent tria illa capita XXIX—XXXI, quae in locum falsum detrusa esse videmus? Ac primum quidem illa non ante cap. X reponenda esse, XXX, 2 verba ostendunt: *εὔηθες γὰρ τῶν μὲν ἀφικνουμένων ἀνδρῶν παραιρεῖσθαι τὰ ὅπλα, ἐν δὲ τῇ ἀγορᾷ καὶ ταῖς συνοικίαις ὑπάρχειν θώρακάς τε ἀσπιδίων καὶ ἐγχειριδίων κιβώτια*: quae cum procul dubio pertineant ad praeceptum X, 9: *ξένους τοὺς ἀφικνουμένους τὰ ὅπλα ἐμφανῆ καὶ πρόχειρα φέρειν καὶ εὐθὺς αὐτῶν παραιρεῖσθαι*, sequitur, ut demum post cap. X olim posita fuerint praecepta capitum XXIX—XXXI. Considerantibus deinde nobis, omnia illorum capitum praecepta esse referenda ad urbem, cui bellum imminet et cuius civium aliqua pars coniuravit cum iis, qui bellum illaturi sunt, apparere videtur, ea reponenda esse ante caput XV, quoniam inde ab hoc capite hostes finem transgressi Aeneae ante oculos versantur. Nequit igitur dubitari, quin ei commentarii particulae addenda sint, quae est inde a capite XI: nam hoc ineunte et monuerat Aeneas, ut caverent oppidani a civium suspectorum insidiis, et promiserat, sese ex ordine pluribusque de omnibus eiusmodi fraudibus dolisque expositurum esse: *ῥηθήσονται δὲ ἑξῆς αἱ ἐπιβουλαὶ ἐκ τῆς **βίβλου παραδείγματος ἕνεκα, ὅσαι κατὰ πόλιν ἐξ ἀρχόντων ἢ ἰδιωτῶν γεγόνασι κ. τ. λ.* Accedit, quod uno eodemque loco inde a cap. XI capitum ordinem in cod. Med. turbatum esse intelleximus (cum capp. XII—XIII ante cap. XI reponenda sint, eorumque loco ponendum cap. XVII), id quod schedis avulsis videtur factum esse. Ea autem de causa librarius nescio quis schedas eas, quibus capp. XXIX—XXXI continebantur, post cap. XXVIII

inseruit, opinor, quod hoc ipsum videbat ad portas custodiendas pertinere, cap. XXIX ineunte commemorari *τὸν πυλωρόν*. Ita igitur censeo capita inde a cap. XI ordinanda esse: XI. XVII. XXIX—XXXI. XIV: iam habemus plenam absolutamque commentarii particulam, quae pertinet ad eorum, qui novis rebus student, fraudes insidiasque prohibendas, quando bellum urbi imminet. Quae coniectura haud scio an praeter rerum conexum eo quoque confirmetur, quod et XI, 1 exstant verba *ῥηθήσονται δὲ ἑξῆς αἱ ἐπιβουλαὶ ... παραδείγματος ἕνεκα*, et XVII, 2 *παράδειγμα δὲ ἐξοίσω κ. τ. λ.*, et XXIX, 1 *ἐξοίσω δὲ παραδείγματος ἕνεκα*: eodem igitur modo scriptor et totam expositionem de civium rerum novarum cupidorum insidiis evitandis et alteram eius particulam (de pompis educendis) et tertiam (de rebus importandis) inchoat.

Convertamur iam ad extremam alterius partis commentarii particulam, capita XXXII—XL, quae ad urbem ab hostibus oppugnatam pertinet. Ac pauca quidem proferenda erunt, quoniam omnia fere horum capitum praecepta suo loco videntur posita esse.

Capite XXXII Aeneas ostendit, quomodo hostium impetus, quos turribus [33]), arietibus, testudinibus, aliis machinis usi in muros faciant, defendendi sint. Deinde cap. XXXIII, 1—2 quomodo hostium testudines aliaeque machinae, ubi ad muros adductae sint, incendi possint docet. Quae vero tum sequuntur §§ 3—4 et cap. XXXIV [34]) non pertinent ad hostium machinas incendendas, sed ad ignes exstinguendos, si qua domus vel porta ab hostibus incensa sit, contra cap. XXXV rursus ad vehementem ignem incendendum. Nec potest dubitari, id quod iam l. l. pag. 202 exposui, quin XXXIII, §§ 3—4, quae incipiunt hisce verbis: *ἔπειτ' ἄν τινες ὦσι τῆς*

---

[33]) XXXII, §§ 8—10 Hugius proll. critt. pag. 8—9 interpolatori tribuendas censuit, quod iudicium ann. phill. l. l: non tam argumentis quam verbis confirmare conatus est. Quoniam vero omnia, quae protulerat, argumenta stare non posse, sed Aeneae esse illas §§ l. l. pag. 105 sq. sat multis docui, satis habeo monere, ideo Aeneam plura de turribus ambulatoriis exponere non potuisse, quod procul dubio fama tantum et auditione, non ipso usu cognitas eas habebat: quin etiam miraremur, si plura Aeneas de illis machinis protulisset. Facere tamen non possum, quin Hugianae „argumentationis" particulam aliquam exscribam, ut appareat, quam facile unicuique scriptori, quamvis nihil nisi ea, quae ad ipsam rem pertinent, loquatur, accidere possit, ut ab Hugio „ambagum rhetoricarum" accusetur. Ad Aeneae enim verba § 8—10: *ἔπειτα ἔσωθεν ἀνταίρειν ἐκ φορμῶν πληρουμένων ἄμμου ἢ ἐκ λίθων τῶν ὑπαρχόντων ἔρυμα, ὅπερ τοῦ τε μηχανήματος ὑπερέξει καὶ τὰ ἐκ τῶν ἐναντίων βέλη ἀργὰ ποιήσει. προκαλύπτεσθαι δὲ ἅμα τούτοις καὶ πυκνὰ παραπετάσματα ἢ ἱστία* [deinde verba *ἐρύματα τῶν εἰσαφιεμένων βελῶν* lemmatis instar in margine olim adscripta in textum irrepserunt], *ἅπερ σχήσει τε τὰ ὑπερπίπτοντα τῶν βελῶν, καὶ ῥᾳδίως συλλεγήσεται, χαμαιπετὲς δὲ μηδὲν ἔσται. τὸ δὲ αὐτὸ ποιεῖν καὶ ᾗ ἂν ἄλλῃ τοῦ τείχους ὑπερπετῆ γιγνόμενα τὰ βέλη τοὺς ὑπηρετοῦντάς τε καὶ τοὺς διαπορευομένους βλάπτῃ καὶ τιτρώσκῃ*, Hugius pag. 253 annotat: „Unser autor aber gibt uns über die *βέλη* vielfache belehrung: 1) dass sie von den feinden herkommen (§ 8 *τὰ ἐκ τῶν ἐναντίων βέλη*), 2) dass sie in die stadt hineingeschossen werden (§ 9 *τῶν εἰσαφιεμένων βελῶν*), 3) er erwähnt zweimal dass sie über die höhe der mauer hinauskommen (*τὰ ὑπερπίπτοντα τῶν βελῶν* § 9 und, *ὑπερπετῆ γιγνόμενα τὰ βέλη* § 10), 4) dass diese bösen *βέλη* schaden anrichten und verwunden (*βλάπτῃ καὶ τιτρώσκῃ*): erst jetzt natürlich wird uns klar, warum man sich gegen sie schützen muss; 5) diejenigen aber, die geschädigt und verwundet werden, zerfallen in zwei klassen: in die *ὑπηρετοῦντες* und die *διαπορευόμενοι*." — En ad quantas quamque quaesitas ineptias ille omnibus aliis rebus desperatis confugit, ut in suspicionem vocaret, quae suspicione libera sunt! — Praeter ea, quae iam in compluribus annotationibus contemplati sumus, Hugius ibidem pauca alia ad suam atheteseon rationem stabiliendam protulit: quae quoniam novi nihil fere continent, ac satis iam l. l. exposuimus de locis ab eo in suspicionem vocatis, non est, quod commoremur in iis perlustrandis.

[34]) Cuius cap. initium mendosum sic mihi scribendum videtur: *ἐὰν δέ τι οἱ πολέμιοι πειρῶνται ἐμπιπράναι ἰσχυραῖς σκευασίαις πυρός, σβεννύειν χρὴ αὐτὸ ὄξει*: cf. editiones et quae dixi l. l. pag. 203.

πόλεως μόσυνες ἢ τοῦ τείχους τι ξύλινον (sic scribendum esse ibidem docui), *χρὴ τούτοις ὑπάρχειν πρὸς τὸ μὴ ἐμπίπρασθαι ὑπὸ τῶν πολεμίων πίλους καὶ βύρσας*, ponendae sint post XXXIV, 2, quoniam *ἔπειτα* vox ibi tantum locum habet, ubi in eadem re describenda pergitur. Cap. XXXV vero aut loco §§ 3—4 ponendum est post XXXIII, 2 aut statuendum, illud ab interpolatore confictum esse ex XXXIII, 1, cum nimia fere utriusque loci similitudo sit: sive in textu seu in margine olim scriptum fuit, certe postea illas §§ XXXIII, 3—4 suo loco, qui erat post XXXIV, 2, deturbavit.

Sed iam finem faciamus difficillimae huius quaestionis de rerum ordine in cod. Med. turbato, quoniam capita XXXVI—XL apte cohaerere et inter se et cum iis, quae praecedunt, nobis videntur. Ut vero paucis ea, quae exposui, comprehendam, hic capitum rerumque ordo mihi videtur statuendus esse in commentario poliorcetico:

Prooemium.

I. *Bellum urbi imminet, hostes in suis finibus versantur:* capp. I—X. XII. XIII. XI. XVII. XXIX—XXXI. XIV.

1) De copiis eligendis disponendisque et de locis terrae urbisque praeparandis: capp. I—IX.

I. de copiis eligendis disponendisque.
II. de areis vacuis, quae in urbe sunt, obstruendis.
III. quomodo cives, si quid improvisi acciderit, quam celerrime colligi et in suam quaeque manus locum deduci possint.
IV. de signis (*συσσήμοις*) componendis.
V. de portarum custodibus eligendis.
VI. de speculatoribus diurnis (*ἡμεροσκόποις*) in locis editis ante urbem constituendis.
VII. de messe facienda, quando hostes in agros irrupturi sunt.
VIII. de terra obstruenda vastandaque, quando maior hostium exercitus exspectatur.
IX. quae fieri oporteat, quando subitam hostium irruptionem imminere imperator comperit.

2) De disciplina publica temporibus periculosis severius exercenda et de insidiis sive alicuius partis civium sive sociorum vel mercennariorum prohibendis: capp. X. XII. XIII. XI. XVII. XXIX—XXXI. XIV.

X a) §§ 1—2. 3 *κατακομίζειν — ἐκ τῆς χώρας*. 12: de iumentis mancipiisque apud finitimas gentes collocandis, de liberis incolis in urbem deducendis, de frumentis importandis ante obsidionem.

b) § 3 in. *ἔπειτα κηρύγματα — ἕνεκα*. 4—14 (excepta § 12) usque ad verbum *κατασβέννυσθαι*. 25 med. *ἔτι τοίνυν κ. τ. λ.* — 26. 14 extr. *καὶ τῶν ἄλλων* — 25 med. *νεωτερίσαι*: de disciplina publica temporibus periculosis in ipsa urbe severius exercenda (vernacula: über verhängung des belagerungszustandes).

XII. de sociis vel mercennariis, ne cives opprimere possint, inter se separandis.
XIII. de mercennariorum et conducendorum et alendorum tutissima ratione.
XI. XVII. XXIX—XXXI. de prohibendis fraudibus insidiisque eorum civium, qui novis rebus student vel coniuraverunt cum hostibus:

a) XI de diversis civium suspectorum fraudibus evitandis.
b) XVII de pompis caute educendis ex oppido.

c) XXIX—XXXI de vasis sarcinisque, quae importantur, accurate custodiendis et perquirendis:

α) ne arma clam importentur a coniuratis XXIX (cum appendice XXX, ne cui liceat coemere, quae palam importantur arma).
β) ne variis epistularum occulte mittendarum rationibus fallantur oppidani XXXI.

XIV. de plebis animis conciliandis, quando bellum imminet, et de concordia civium constituenda.

II. *Bellum urbi illatum est, cives agros urbemque ab hostibus defendunt:* capp. XV—XL (exceptis capp. XVII. XXIX—XXXI).

1) De bello terrestri: capp. XV—XL, 8 (*δεδήλωται*).

a) Hostes praedandi causa subito in agros irruperunt: XV—XVI, 15.
Aeneas suadet, ut cives

α) aut statim ad auxilium ferendum egrediantur ex urbe. XV.
β) aut altera *βοηθείας* ratione usi, si hostes caute irruperint acieque instructa proficiscantur, exspectent, dum illi longe lateque dispersi praedari incipiant et simul coenando potandoque se dedant: XVI, 1—15.

b) Hostibus non tantum in terram irrumpere, sed urbem ipsam aggredi in animo est: XVI, 16—18. XVIII—XX.

α) cives iubentur aditus terrae obstruere locaque idonea ad hostes defendendos capere: XVI, 16—18.
β) de portis sub vesperum claudendis fraudibusque custodum portarum evitandis: XVIII—XX.

Capite XXI Aeneas ad insequentem partem transit:

c) Hostes proxime a moenibus consederunt et urbem obsident: capp. XXII—XXVIII.

α) de urbe noctu custodienda: capp. XXII—XXVII, 14.

XXII de vigiliis.
XXIII de clandestinis nocturnis eruptionibus in hostes obsidentes faciendis et de aliis nocturnis expeditionibus caute instituendis.
XXIV de tesseris (*συνθήμασιν*).
XXV de signis mutis una cum tesseris constituendis (*παρασυνθήμασιν*).
XXVI de circuitionibus (*περιοδείαις*).
XXVII, 1—14 de subitis terroribus (*πανείοις*).

β) de urbe interdiu custodienda: XXVII, 15 — XXVIII.

XXVII, 15 de vigilibus orta luce stationibus suis deducendis.
XXVIII de portis interdiu custodiendis, ne qui hostes per dolum et vim iis potiri possint.

d) Hostes urbem oppugnant: cap. XXXII—XL, 8 (*δεδήλωται*).

XXXII impetus hostium machinis (arietibus, testudinibus, turribus etc.) in muros portasve facti quomodo defendi possint.
XXXIII, 1—2. XXXV de incendendis hostium testudinibus aliisque machinis.

XXXIV. XXXIII, 3—4 hostes si portas vel aliquam urbis partem incendere conentur, quomodo impediendi sint ignisque exstinguendus.
XXXVI qua ratione hostes, si scalis usi ascendere in muros conentur, defendi possint.
XXXVII de cuniculis.
XXXVIII de ipsa pugna adversus hostes oppugnantes instituenda.
XXXIX quibus dolis insidiisque hostes oppugnantes decipi et detrimentis affici possint.
XL quomodo minore manu urbs defendi efficique possit, ut defensorum numerus maior, quam revera est, videatur esse.

2) De bello navali: XL, 8 extr. et ea, quae deperierunt.

Restat, ut appendicis loco paucis agamus

II.

De nonnullis locis commentarii poliorcetici.

I, 7, cum Aeneas robustissimos militum eligi iussisset ad expeditiones faciendas adiuvandosque eos, qui premerentur ab hostibus, sequuntur haec: *ἡγεμὼν δὲ καὶ ὁ ἐπιμελητὴς αὐτῶν ἔστω τά τε ἄλλα φρόνιμος καὶ εὔρωστος, καὶ ᾧ ἂν πλεῖστοι κίνδυνοι εἶεν μεταβολῆς γενομένης.* Cum articulus ad alterum substantivum *ἐπιμελητής* adiectus iure Herchero displicuisset, omisso eo post *αὐτῶν* vocem inserendum censuit vocabulum *ἀνήρ*, quod Hugius in textum recepit. Neque vero est, cur lacunam hic esse statuamus. Minime enim subiectum desiderari nec substantiva *ἡγεμών* et *ἐπιμελητής* cum praedicato *ἔστω* conectenda esse, sed adiectiva *φρόνιμος* et *εὔρωστος*, § 6 docetur, ubi Aeneas, quales milites illos electos esse oporteat, profitetur verbis *εἶναι δὲ αὐτοὺς εὔνους τε καὶ τοῖς καθεστηκόσι πράγμασιν ἀρεσκομένους*: eodem modo § 7 qualem d u c e m illis praefici velit, pronuntiat iis, de quibus agitur verbis, quae simplicissime sic corrigenda videntur: *ὁ δὲ ἡγεμὼν καὶ ἐπιμελητὴς αὐτῶν ἔστω τά τε ἄλλα φρόνιμος κ. τ. λ.* Utriusque enuntiati s u b i e c t a inter se opposita sunt: *εἶναι δὲ αὐτούς* . . § 6, *ὁ δὲ ἡγεμὼν καὶ ἐπιμελητὴς αὐτῶν ἔστω* . . . § 7, ideoque ab Aenea ita collocata, quem nonnunquam hac verborum collocatione, quae *χιασμός* vocatur, usum esse l. l. pag. 43 ostendi. Procul dubio autem articulus *ὁ* in codice archetypo initio omissus, deinde superscriptus fuit, quem cod. Med. librarius non ante *ἡγεμών* vocem, ubi inseri debebat, sed falso ante *ἐπιμελητής* inseruit. De *δέ* particulae vocali modo servata modo eiecta cf. l. l. pag. 49.

VI, 1 tradita sunt verba: *χρὴ δὲ καὶ ἡμεροσκόπους πρὸ τῆς πόλεως καθιστάναι ἐπὶ τόπῳ ὑψηλῷ καὶ ὡς ἐκ πλείστου φαινομένῳ, ἡμεροσκοπεῖν δὲ ἐφ' ἑκάστῳ χωρίῳ τρεῖς τοὐλάχιστον.* Num vero numerus singularis ferri potest in vocabulis *ἐπὶ τόπῳ ὑψηλῷ καὶ ὡς ἐκ πλείστου φαινομένῳ*? Nonne cum ea, quae statim insequuntur, *ἐφ' ἑ κ ά σ τ ῳ χωρίῳ* ostendunt, de c o m p l u r i b u s locis editis loqui Aeneam, tum § 4 verba *ἐὰν δὲ μὴ ὑπάρχωσι τ ο ι ο ί δ ε τ ό π ο ι, ὥστε καὶ εἰς τὴν πόλιν ἀπ' αὐτῶν φαίνεσθαι τὰ σημεῖα*, quae referenda sunt ad illa § 1 *ἐπὶ τόπῳ ὑψηλῷ καὶ ὡς ἐκ πλείστου φαινομένῳ*? Quae cum ita sint, saepissimeque vocabulorum fines in cod. Med. mutilatos esse l. l. pag. 60 ostenderim, lenissimo medicamento adhibito scribendum censeo: *ἐπὶ τόποις ὑψηλοῖς καὶ ὡς ἐκ πλείστου φαινομένοις.*

VI, 5 cod. Med. praebet haec: *εἶναι δὲ τοὺς ἡμεροσκόπους καὶ ποδώκεις, οἳ ὅσα μὴ οἷά τε τῶν σημείων δηλοῦν, ἀλλ' αὐτῶν τινα δέῃ ἐξ ἀνάγκης ἀγγέλλειν, δύνωνται ταχὺ ἀφικνεῖσθαι καὶ ὡς ἐκ πλείστου ἀγγέλλωσιν.* Mendosis verbis *οἳ ὅσα μὴ οἷά τε τῶν σημείων δηλοῦν* Hercherus mederi studuit scribendo *ἵν', ἂν μὴ οἷόν τε διὰ τῶν σημείων δηλοῦν*, Sauppius l. l. *ὅπως, ἂν μὴ οἷόν τ' ᾖ τοῖς σημείοις δηλοῦν*, quorum uterque aliquid recti vidit: ac priora quidem melius Sauppius videtur constituisse, posteriora *διὰ τῶν σημείων* Hercherus. Nam praeterquam quod veri est similius, quoniam genetivus *τῶν σημείων* in codice traditus est, *διά* excidisse, casum servatum esse, quam genetivum ex dativo *τοῖς σημείοις* ortum esse, hisce verbis *διὰ τῶν σημείων* opposita sunt § 6 verba: *ἄριστον δὲ ἱππασίμων ὄντων* (*τῶν* adiciendum est [35]) *τόπων καὶ ὑπαρχόντων ἵππων ἱππέας συνημερεύειν* [36]), *ἵνα δ ι ὰ τ ῶ ν δ ε θᾶσσον ἀγγέλληται.* Nulla vero de causa et Hercherus et Hugius extrema verba *καὶ ὡς ἐκ πλείστου ἀγγέλλωσιν* mutaverunt: ille scripsit *κἂν ἐκ πλείστου*, hic *κἂν ὡς ἐκ πλείστου*. Minime enim loci sententia postulatur, ut altera iam condicio adiciatur, sed hoc Aeneas dicere vult: Celeres pedibus sunto hemeroscopi, ut, si oporteat, celeriter accurrere in urbem possint et ex quam maximo intervallo nuntium ipsi afferant. Quapropter in fine §, quae codex praebet, ea servanda existimo, totamque § sic scribendam: *εἶναι δὲ τοὺς ἡμεροσκόπους καὶ ποδώκεις, ὅπως, ἂν μὴ οἷόν τ' ᾖ διὰ τῶν σημείων δηλοῦν, ἀλλ' αὐτῶν τινα δέῃ ἐξ ἀνάγκης ἀγγέλλειν, δύνωνται ταχὺ ἀφικνεῖσθαι καὶ ὡς ἐκ πλείστου ἀγγέλλωσιν.*

VIII, 4 Aeneas inter ea, quae uberius se *ἐν τῇ Παρασκευαστικῇ βίβλῳ* descripsisse dicit, enumerat haec: *τά τε βρωτὰ καὶ ποτὰ καὶ τὰ κατ' ἀγροὺς ἔγκαρπα ὡς δεῖ ἀχρεῖα ποιεῖν ἢ ἀφανίζειν* (ita recte Hercherus emendavit locum), *καὶ τὰ ἄλλα κατὰ τὴν χώραν στάσιμα ὕδατα ὡς ἄποτα δεῖ ποιεῖν κ. τ. λ.* — Vox *ἄλλα* cum a loci sententia aliena sit, ab Herchero expuncta est. Sed quem ad finem illa ab interpolatore addita esse putetur? Immo facillima ratio loci emendandi haec est, ut pro *ἄλλα* scribamus *ἅμα*: eodem modo *ΑΛΛΑ* et *ΑΜΑ* a librario inter se confusa sunt e. gr. XXII, 17. XXXII, 1. XXXVII, 3; 9. Optime autem verba *καὶ ἅμα τὰ κατὰ τὴν χώραν στάσιμα ὕδατα ὡς ἄποτα δεῖ ποιεῖν* in sententiarum conexum quadrare elucet.

XI, 12 Hercherus scribit: *μηνυθείσης γὰρ ἐπιβουλῆς τοῖς ἄρχουσιν, ὅτι ὅταν ὁ πῖλος ἀρθῇ ἐπιθήσονται, ἔπαυσαν τοὺς ἐγχειροῦντας ἐπιθέσθαι κήρυγμα ἀναγγείλαντες, τοὺς τὸν πῖλον μέλλοντας αἴρειν* (Med. *ἄραι*) *μὴ ἄραι*. Sed paulo et simplicius et rectius corrigemus *μέλλοντας ἀρεῖν*: maxima enim verborum *ἀρεῖν* et *ἄραι* similitudine factum est, ut somniculosus codicis Med. librarius bis *ἄραι* exararet. De inf. fut. cum *μέλλω* verbo coniuncto cf. e. gr. XI, 7 *ἔμελλε τὸ ἔργον ἔσεσθαι.*

XII, 5 in enuntiato *πρῶτον μὲν τοὺς ἀντιστασιώτας ἀνεῖλον, ἔπειτα αὐτοὺς καὶ τὴν πόλιν ἀπώλεσαν*, post *ἔπειτα* voculam *δέ* excidisse, luce fere clarius est.

XVIII, 2 Aeneas, postquam praecepit, ut quam diligentissime ab ipsis magistratibus sub solis occasum portae clauderentur, pergit: *ὅταν γὰρ ἐπὶ τὰς πύλας τις αὐτῶν* (sc. *τῶν ἀρχόντων*) *ἐλθὼν κλεῖσαι μὴ αὐτουργὸς γίγνηται, ἀλλὰ παραδοὺς τὴν βάλανον τῷ πυλωρῷ κλεῖσαι κελεύῃ, τάδε κακουργεῖται ὑπὸ πυλωρῶν βουλομένων νυκτὸς δέξασθαι τοὺς πολεμίους.* Hercherus, cum e textu editionis maioris prius illud *κλεῖσαι* expunxisset, pag. 156 annotavit: „revocandum est *κλεῖσαι*", cui Hugius assensus est, cum scriberet *ἐλθὼν κλεῖσαι*. Quorum uterque videtur statuere, *κλεῖσαι* infinitivum pendere a verbo *ἐλθών*. Neque tamen, quae est loci sententia, hoc statui potest, sed

---

[35]) De qua haplographia, ut ita dicam, cf. l. l. pag. 61.

[36]) Sic videtur scribendum esse: cod. Med. *συνιμείρειν* praebet: cf. l. l. pag. 190.

XXXIV. XXXIII, 3—4 hostes si portas vel aliquam urbis partem incendere conentur, quomodo impediendi sint ignisque exstinguendus.
XXXVI qua ratione hostes, si scalis usi ascendere in muros conentur, defendi possint.
XXXVII de cuniculis.
XXXVIII de ipsa pugna adversus hostes oppugnantes instituenda.
XXXIX quibus dolis insidiisque hostes oppugnantes decipi et detrimentis affici possint.
XL quomodo minore manu urbs defendi efficique possit, ut defensorum numerus maior, quam revera est, videatur esse.

2) De bello navali: XL, 8 extr. et ea, quae deperierunt.

Restat, ut appendicis loco paucis agamus

II.

De nonnullis locis commentarii poliorcetici.

I, 7, cum Aeneas robustissimos militum eligi iussisset ad expeditiones faciendas adiuvandosque eos, qui premerentur ab hostibus, sequuntur haec: *ἡγεμὼν δὲ καὶ ὁ ἐπιμελητὴς αὐτῶν ἔστω τά τε ἄλλα φρόνιμος καὶ εὔρωστος, καὶ ᾧ ἂν πλεῖστοι κίνδυνοι εἶεν μεταβολῆς γενομένης.* Cum articulus ad alterum substantivum *ἐπιμελητής* adiectus iure Herchero displicuisset, omisso eo post *αὐτῶν* vocem inserendum censuit vocabulum *ἀνήρ*, quod Hugius in textum recepit. Neque vero est, cur lacunam hic esse statuamus. Minime enim subiectum desiderari nec substantiva *ἡγεμών* et *ἐπιμελητής* cum praedicato *ἔστω* conectenda esse, sed adiectiva *φρόνιμος* et *εὔρωστος*, § 6 docetur, ubi Aeneas, quales milites illos electos esse oporteat, profitetur verbis *εἶναι δὲ αὐτοὺς εὔνους τε καὶ τοῖς καθεστηκόσι πράγμασιν ἀρεσκομένους*: eodem modo § 7 qualem d u c e m illis praefici velit, pronuntiat iis, de quibus agitur verbis, quae simplicissime sic corrigenda videntur: *ὁ δὲ ἡγεμὼν καὶ ἐπιμελητὴς αὐτῶν ἔστω τά τε ἄλλα φρόνιμος κ. τ. λ.* Utriusque enuntiati s u b i e c t a inter se opposita sunt: *εἶναι δὲ αὐτούς* . . § 6, *ὁ δὲ ἡγεμὼν καὶ ἐπιμελητὴς αὐτῶν ἔστω* . . . § 7, ideoque ab Aenea ita collocata, quem nonnunquam hac verborum collocatione, quae *χιασμός* vocatur, usum esse l. l. pag. 43 ostendi. Procul dubio autem articulus *ὁ* in codice archetypo initio omissus, deinde superscriptus fuit, quem cod. Med. librarius non ante *ἡγεμών* vocem, ubi inseri debebat, sed falso ante *ἐπιμελητής* inseruit. De *δέ* particulae vocali modo servata modo eiecta cf. l. l. pag. 49.

VI, 1 tradita sunt verba: *χρὴ δὲ καὶ ἡμεροσκόπους πρὸ τῆς πόλεως καθιστάναι ἐπὶ τόπῳ ὑψηλῷ καὶ ὡς ἐκ πλείστου φαινομένῳ, ἡμεροσκοπεῖν δὲ ἐφ' ἑκάστῳ χωρίῳ τρεῖς τοὐλάχιστον.* Num vero numerus singularis ferri potest in vocabulis *ἐπὶ τόπῳ ὑψηλῷ καὶ ὡς ἐκ πλείστου φαινομένῳ*? Nonne cum ea, quae statim insequuntur, *ἐφ' ἑ κ ά σ τ ῳ χωρίῳ* ostendunt, de c o m p l u r i b u s locis editis loqui Aeneam, tum § 4 verba *ἐὰν δὲ μὴ ὑπάρχωσι τ ο ι ο ί δ ε τ ό π ο ι, ὥςτε καὶ εἰς τὴν πόλιν ἀπ' αὐτῶν φαίνεσθαι τὰ σημεῖα*, quae referenda sunt ad illa § 1 *ἐπὶ τόπῳ ὑψηλῷ καὶ ὡς ἐκ πλείστου φαινομένῳ*? Quae cum ita sint, saepissimeque vocabulorum fines in cod. Med. mutilatos esse l. l. pag. 60 ostenderim, lenissimo medicamento adhibito scribendum censeo: *ἐπὶ τόποις ὑψηλοῖς καὶ ὡς ἐκ πλείστου φαινομένοις.*

VI, 5 cod. Med. praebet haec: *εἶναι δὲ τοὺς ἡμεροσκόπους καὶ ποδώκεις, οἳ ὅσα μὴ οἷά τε τῶν σημείων δηλοῦν, ἀλλ' αὐτῶν τινα δέῃ ἐξ ἀνάγκης ἀγγέλλειν, δύνωνται ταχὺ ἀφικνεῖσθαι καὶ ὡς ἐκ πλείστου ἀγγέλλωσιν.* Mendosis verbis *οἳ ὅσα μὴ οἷά τε τῶν σημείων δηλοῦν* Hercherus mederi studuit scribendo *ἵν', ἂν μὴ οἷόν τε διὰ τῶν σημείων δηλοῦν*, Sauppius l. l. *ὅπως, ἂν μὴ οἷόν τ' ᾖ τοῖς σημείοις δηλοῦν*, quorum uterque aliquid recti vidit: ac priora quidem melius Sauppius videtur constituisse, posteriora *διὰ τῶν σημείων* Hercherus. Nam praeterquam quod veri est similius, quoniam genetivus *τῶν σημείων* in codice traditus est, *διά* excidisse, casum servatum esse, quam genetivum ex dativo *τοῖς σημείοις* ortum esse, hisce verbis *διὰ τῶν σημείων* opposita sunt § 6 verba: *ἄριστον δὲ ἱππασίμων ὄντων* (*τῶν* adiciendum est [35]) *τόπων καὶ ὑπαρχόντων ἵππων ἱππέας συνημερεύειν* [36]), *ἵνα δ ι ὰ τ ῶ ν δ ε θᾶσσον ἀγγέλληται.* Nulla vero de causa et Hercherus et Hugius extrema verba *καὶ ὡς ἐκ πλείστου ἀγγέλλωσιν* mutaverunt: ille scripsit *κἂν ἐκ πλείστου*, hic *κἂν ὡς ἐκ πλείστου*. Minime enim loci sententia postulatur, ut altera iam condicio adiciatur, sed hoc Aeneas dicere vult: Celeres pedibus sunto hemeroscopi, ut, si oporteat, celeriter accurrere in urbem possint et ex quam maximo intervallo nuntium ipsi afferant. Quapropter in fine §, quae codex praebet, ea servanda existimo, totamque § sic scribendam: *εἶναι δὲ τοὺς ἡμεροσκόπους καὶ ποδώκεις, ὅπως, ἂν μὴ οἷόν τ' ᾖ διὰ τῶν σημείων δηλοῦν, ἀλλ' αὐτῶν τινα δέῃ ἐξ ἀνάγκης ἀγγέλλειν, δύνωνται ταχὺ ἀφικνεῖσθαι καὶ ὡς ἐκ πλείστου ἀγγέλλωσιν.*

VIII, 4 Aeneas inter ea, quae uberius se *ἐν τῇ Παρασκευαστικῇ βίβλῳ* descripsisse dicit, enumerat haec: *τά τε βρωτὰ καὶ ποτὰ καὶ τὰ κατ' ἀγροὺς ἔγκαρπα ὡς δεῖ ἀχρεῖα ποιεῖν ἢ ἀφανίζειν* (ita recte Hercherus emendavit locum), *καὶ τὰ ἄλλα κατὰ τὴν χώραν στάσιμα ὕδατα ὡς ἄποτα δεῖ ποιεῖν κ. τ. λ.* — Vox *ἄλλα* cum a loci sententia aliena sit, ab Herchero expuncta est. Sed quem ad finem illa ab interpolatore addita esse putetur? Immo facillima ratio loci emendandi haec est, ut pro *ἄλλα* scribamus *ἅμα*: eodem modo *ΑΛΛΑ* et *ΑΜΑ* a librario inter se confusa sunt e. gr. XXII, 17. XXXII, 1. XXXVII, 3; 9. Optime autem verba *καὶ ἅμα τὰ κατὰ τὴν χώραν στάσιμα ὕδατα ὡς ἄποτα δεῖ ποιεῖν* in sententiarum conexum quadrare elucet.

XI, 12 Hercherus scribit: *μηνυθείσης γὰρ ἐπιβουλῆς τοῖς ἄρχουσιν, ὅτι ὅταν ὁ πῖλος ἀρθῇ ἐπιθήσονται, ἔπαυσαν τοὺς ἐγχειροῦντας ἐπιθέσθαι κήρυγμα ἀναγγείλαντες, τοὺς τὸν πῖλον μέλλοντας αἴρειν* (Med. *ἆραι*) *μὴ ἆραι* Sed paulo et simplicius et rectius corrigemus *μέλλοντας ἀρεῖν*: maxima enim verborum *ἀρεῖν* et *ἆραι* similitudine factum est, ut somniculosus codicis Med. librarius bis *ἆραι* exararet. De inf. fut. cum *μέλλω* verbo coniuncto cf. e. gr. XI, 7 *ἔμελλε τὸ ἔργον ἔσεσθαι.*

XII, 5 in enuntiato *πρῶτον μὲν τοὺς ἀντιστασιώτας ἀνεῖλον, ἔπειτα αὐτοὺς καὶ τὴν πόλιν ἀπώλεσαν*, post *ἔπειτα* voculam *δέ* excidisse, luce fere clarius est.

XVIII, 2 Aeneas, postquam praecepit, ut quam diligentissime ab ipsis magistratibus sub solis occasum portae clauderentur, pergit: *ὅταν γὰρ ἐπὶ τὰς πύλας τις αὐτῶν* (sc. *τῶν ἀρχόντων*) *ἐλθὼν κλεῖσαι μὴ αὐτουργὸς γίγνηται, ἀλλὰ παραδοὺς τὴν βάλανον τῷ πυλωρῷ κλεῖσαι κελεύῃ, τάδε κακουργεῖται ὑπὸ πυλωρῶν βουλομένων νυκτὸς δέξασθαι τοὺς πολεμίους.* Hercherus, cum e textu editionis maioris prius illud *κλεῖσαι* expunxisset, pag. 156 annotavit: „revocandum est *κλεῖσαι*", cui Hugius assensus est, cum scriberet *ἐλθὼν κλεῖσαι.* Quorum uterque videtur statuere, *κλεῖσαι* infinitivum pendere a verbo *ἐλθών.* Neque tamen, quae est loci sententia, hoc statui potest, sed

---

[35]) De qua haplographia, ut ita dicam, cf. l. l. pag. 61.

[36]) Sic videtur scribendum esse: cod. Med. *συνιμείρειν* praebet: cf. l. l. pag. 190.

procul dubio articuli genetivo addito *κλεῖσαι* cum insequentibus vocabulis *αὐτουργὸς γίγνηται* est conectendum: nam opponuntur inter se verba *ὅταν ... τοῦ κλεῖσαι μὴ αὐτουργὸς γίγνηται* et *ἀλλὰ παραδοὺς τὴν βάλανον τῷ πυλωρῷ κλεῖσαι κελεύῃ*, quoniam summi momenti est, magistratus suis manibus claudere portas. Saepissime autem articulum librarii neglegentia omissum esse l. l. pag. 62 dixi. Neque vero iam omnia liquent. Vix enim cuiquam *κακουργεῖται* illud probabitur, quoniam non de certa quadam re, quae necessario fit, sed de iis, quae a custodibus portarum committi possint, si minus caute portae claudantur, fraudibus agitur: neque igitur indicativus, sed modus potentialis rerum conexu postulatur. Quapropter scribendum proposuerim *κακουργοῖτ' ἄν*. Saepe autem in cod. Med. duo vocabula in unum confusa esse, l. l. pag. 59, nec rarius eas, quae pariter olim pronuntiabantur, litteras *ι, ει, η, οι, υ* inter se commutatas esse, l. l. pag. 64 demonstravi. Optime vero se habere § 2 sic scriptam: *ὅταν γὰρ ἐπὶ τὰς πύλας τις αὐτῶν ἐλθὼν τοῦ κλεῖσαι μὴ αὐτουργὸς γίγνηται, ἀλλὰ παραδοὺς τὴν βάλανον τῷ πυλωρῷ κλεῖσαι κελεύῃ, τάδε κακουργοῖτ' ἂν ὑπὸ πυλωρῶν βουλομένων νυκτὸς δέξασθαι τοὺς πολεμίους*, quis est qui neget?

XXIII, 7 in cod. Med. exstant verba: *πράξεις δὲ καὶ ωδε* (sic) *ἐξοισθήσεται ἐξαρχόντων*. Monuerat § 6 Aeneas, ne qua nocturna expeditio incaute fieret, quod facile ii, qui novis rebus studerent, eiusmodi temporibus rerum potiri possent. Verba desperata fere ab interpretibus Casaubonus sanare studuit, cum scriberet *πρᾶξις δὲ καὶ ὧδε γεγενημένη ἐξοισθήσεται ἐξ ἀρχόντων*; Turicenses proposuerunt *πρᾶξις δὲ καὶ ἥδ' ἐξοισθήσεται ἐξ ἀρχόντων*. Ac recte quidem illi intellexerunt, *πρᾶξις* legendum esse: de mutatis inter se litteris *ει* et *ι* cf. quae exposui l. l. pag. 64. Quid vero illud *καί* sibi vult? Neque enim ulla alia similis narratio in hoc capite praecedit. Quoniam praeterea *ωδε* litterae in codice traditae et ipsae satis superque suspectae sunt, saepius autem in cod. Med. singula vocabula in complures partes discissa videmus (cf. l. l. pag. 60), haud scio an sic emendanda sint verba: *πρᾶξις δὲ τοιάδε ἐξοισθήσεται ἐξ ἀρχόντων γενομένη*. Cf. hos locos: XVII, 2 *παράδειγμα δὲ ἐξοίσω γενόμενον πάθος*; de *τοιόςδε* voce e. gr. XI, 7 *τοιόνδε ἐπράχθη*. 13 *ἐτεχνάσθη τοιόνδε*, etc.; de *ἐκ* praepositionis usu e. gr. XI, 2 *αἱ ἐπιβουλαὶ .... ὅσαι κατὰ πόλιν ἐξ ἀρχόντων ἢ ἰδιωτῶν γεγόνασιν*. 13 *ἐπανάστασιν δέον γενέσθαι ἐκ τῶν πλουσίων καὶ ὀλιγαρχικῶν τῷ δήμῳ*. etc. De cod. Med. lacunis cf. l. l. pag. 62.

XXVIII, 5 Aeneas, postquam § 4[37]) praescripsit, ne omnino portae mane incaute aperirentur neve naves prope portas appelli sinerentur, quod saepe etiam interdiu urbes ambabus portae foribus apertis oppressae essent hostium fraudibus dolisque, ad illustrandum id praeceptum adicit: *Πύθων μὲν ὁ Κλαζομένιος καὶ τῶν ἐν τῇ πόλει τινῶν συνεθελόντων τηρήσας τελέως τὸ ἡσυχαίτατον τῆς ἡμέρας, ἁμάξαις ἐκ παρασκευῆς πίθους εἰςαγούσαις κατέλαβε Κλαζομενὰς μενουσῶν* (adiecit Casaub.) *ἐν ταῖς πύλαις τῶν ἁμαξῶν, καθ' ἃς ξένοι προυπάρχοντες* (cod. *ξένων προυπαρχόντων*) *κρυφαίως οὐ πόῤῥω τῆς πόλεως .... κατέσχον τὴν πόλιν*. Quoniam vocabulum *τελέως* prorsus alienum est a loci sententia, Hercherus pro illo legendum proposuit *ἐπιμελῶς*, quod Hugius in textum recepit. Sed vox *ἐπιμελῶς*, praeterquam quod litterarum ductu paulo longius recedit ab illo *τελέως*, satis est supervacanea: apparet enim, eum, qui adversarios dolo oppressurus sit, semper *ἐπιμελῶς* exspectaturum esse, dum opprimendi tempus sit. Quodsi consideramus, § 4 id gravissime pressisse Aeneam, ne mane portae incaute aperirentur. § 5 narrare, sua incuria Clazomenios portis incaute apertis interdiu oppressos esse a Pythone, eo adducimur, ut duabus

[37]) De textu mendosissimarum §§ 4 sq. constituendo cf. quae explicavi l. l. pag. 148 sq.

litterulis mutatis coniciamus, Aeneam ipsum scripsisse *τηρήσας τὴν ἕω ὡς τὸ ἡσυχαίτατον*[38]) *τῆς ἡμέρας κ. τ. λ.*: quae si in textu posuerimus, iam habebimus, quae opposita sint § 4 verbis *τὸ δ' ὅλον μὴ ἀνοίγεσθαι πρῳ̈ τὰς πύλας ἀπροσκέπτως*. Atque optime cum verbis *τηρήσας τὴν ἕω ὡς τὸ ἡσυχαίτατον τῆς ἡμέρας* consentit, quod Pythonis mercennarii proxime a porta abditi fuisse dicuntur: nam nocte procul dubio clam oppidanis tam prope ad portam accesserunt et in insidiis consederunt. Auroram autem Pytho elegit ad fraudem perpetrandam, quia illo diei tempore paucos Clazomeniorum paratos ad pugnandum fore speravit. Quod vero ad rationes palaeographicas pertinet, *N* litteram in *Λ* corruptam, alteram *ω* litteram per haplographiam, ut ita dicam, omissam, itaque tres voculas in unam confusas esse suspicor: de quibus mendorum generibus crebris in cod. Med. cf. quae exposui l. l. pagg. 63, 61, 59—60.

Post XXXVIII, 6 *χερμάδια δὲ μὴ ἐπιτρέπειν ἀκαίρως ἀφιέναι, παρεσκευάσθαι δὲ ὅπως καὶ τὰ ἀφεθέντα ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐν τῇ νυκτὶ ἀναλέγηται ὧδε*, in cod. Med. sequitur mendosa § 7: *καταχρεμμαννύειν χρὴ ἐν κοφίνοις ἄνδρας κατὰ τοῦ τείχεος, οἵτινες ἀναλέξουσιν οὕτως δὲ ἄνδρας χρὴ τοὺς ἀναλέξοντας τὰ χερμάδια ἀναβαίνειν εἰς τὸ τεῖχος καταχρεμασθέντων δακτυλίων ἴστων πελαφίων*[39]) *ἢ ταῖς ἐκ τῶν σχοινίων κλίμαξι πεποιημέναις*. Multum contulerunt ad locum sanandum Turicenses, cum respectis verbis XI, 2 *δίκτυα ἐλάφεια καὶ σύεια* scriberent *καταχρεμασθέντων δικτύων συείων καὶ ἐλαφείων*. Hercherus autem, cum comprobata Turicensium coniectura tamen locum nondum refectum esse iudicaret, haecce annotavit: „Sed restant alia expedienda. nam *καταχρεμαννύειν ἐν κοφίνοις ἄνδρας κατὰ τοῦ τείχους οἵτινες ἀναλέξουσιν*, quae verba de hominibus intellegi solent in cophinos imponendis et per funes in terram demittendis, nihil significare possunt nisi hoc: in cophinis e muro suspendendos homines esse, qui saxa deiecta colligant. at pensiles isti sublimia potius quam terrestria curabunt; certe non manu saxa prehendent, sed ex alto despicient. sed ut attingant cophini terram, quid duplici instrumento opus, cophinis et cassibus, quorum his adscendatur, illis descendatur? num inutiles ad adscendendum cophini, ad descendendum casses? et quas eodem loco cum cassibus ponit Aeneas scalas ex funibus confectas, num aptae et ipsae uni soli adscensui sunt? cur denique nihil de ratione, qua saxa in urbem referantur? has tibi quaestiunculas propone, ut intellegas, rerum difficultatem huic loco subesse, quae non contemni debeat, sed solvi. ego num solverim nescio; at in vicinia certe veritatis constitisse mihi visus sum, cum scriberem *καταχρεμαννύειν χρὴ κοφίνους κατὰ τοῦ τείχους, εἰς οὓς τινες ἀναλέξουσι· τοὺς δὲ ἄνδρας χρὴ τοὺς ἀναλέξοντας τὰ χερμάδια καταβαίνειν διὰ τῶν εἰς τὸ τεῖχος καταχρεμασθέντων δικτύων συείων καὶ ἐλαφείων ἢ ταῖς ἐκ τῶν σχοινίων κλίμαξι πεποιημέναις.*" — Minime tamen suam Hercherus coniecturam mihi probavit. Nam praeterquam quod non uno, sed pluribus locis verba tradita mutavit, totam Aeneae sententiam turbasse mihi videtur. Apertissime enim Aeneae ipsius verbis demonstratur, *κοφίνους* adhiberi ad demittendos e muro eos, qui lapides colligant: *καταχρεμαννύειν χρὴ ἐν κοφίνοις ἄνδρας κατὰ τοῦ τείχους, οἵτινες ἀναλέξουσιν*. Collecti in *κοφίνους* lapides his ipsis sursum tolluntur ab iisdem, qui antea *κοφίνοις* hominibus repletos in terram demiserunt de muro. Jam igitur inutiles ad ascendendum sunt *κόφινοι*, quippe qui lapidibus repleti sint. Quo autem celerius simul illi, qui collegerunt, homines rursus

[38]) Participium ad *τὸ ἡσυχαίταιον* addi non oportere elucet e. gr. ex XI, 9 verbis *ὡς προδότης ... πασχέτω τι*.

[39]) *ς* signum superscriptum super hanc vocem in cod. Med. locum corruptum indicat: cf. quae enumeravi l. l. pag. 64—65.

ascendere in murum possint, ascendere iubentur retibus de muro suspensis vel scalis: nam portas aperiri Aeneas § 8 vetat. Suspendi autem retia et scalas, dum illi lapides colligunt, et in promptu est et ipsis verbis *καταχρεμασθέντων δικτύων κ. τ. λ.* demonstratur: genetivi absoluti structura est, neque est omnino, quod *διά* praepositio inseratur: postquam retia suspensa sunt, iis usi ascendunto. (Variandae orationis causa deinde dativo pergit Aeneas: cf. l. l. pag. 40). Plurimum autem referre, omnia illa celeriter perpetrari, ne homines illi conspiciantur opprimanturque ab hostibus, et per se satis apparet et § 8 docetur, quam ipsam Hercherus neglexit, cum *καταβαίνειν* § 7 scriberet pro eo, quod traditum est, *ἀναβαίνειν*: § 8 enim haec exstant: *ταύτας* (sc. *τὰς κλίμακας*) *δ' ἴσας* [40]) *εἶναι τὸν ἀριθμὸν τοῖς ἀναλέγουσιν ἀνθρώποις, ὅπως, ἐάν τινες ἐπίωσι* [41]), *ταχὺ ἀναβαίνωσι*. Maxime praeterea in Hercheri coniectura displicent verba *διὰ τῶν εἰς τὸ τεῖχος καταχρεμασθέντων δικτύων*: nam profecto ille scribere debuit *ἐκ τοῦ τείχους*. Omnino autem verba *εἰς τὸ τεῖχος* pendent ab eo, quod in codice proxime antecedit, *ἀναβαίνειν*, post quod verbum optime se habent: contra Hercherus et articulo *τῶν* et *διά* praepositione inculcatis, verbo *ἀναβαίνειν* mutato in *καταβαίνειν* effecit, ut ad verbum *καταχρεμασθέντων* referenda essent, id quod fieri nequit. Cum igitur ea sit rerum condicio, ut primum quidem ipsi homines in *κοφίνοις* demittantur, in quos lapides colligant, deinde *κόφινοι* lapidibus repleti funibus sursum tollantur, homines vero, ne exspectare debeant, dum *κόφινοι* sublati in murum, deinde lapides effusi, tum *κόφινοι* rursus demissi sint, simul retibus, quae, dum lapides colligunt, de muro suspensa sunt, vel scalis usi ascendant, sic scripserim lenissima mutatione adhibita: *καταχρεμαννύειν χρὴ ἐν κοφίνοις ἄνδρας κατὰ τοῦ τείχους, οἵτινες ἀναλέξουσιν εἰς τούτους. τοὺς δὲ ἄνδρας χρὴ ἀναλέξαντας τὰ χερμάδια ἀναβαίνειν εἰς τὸ τεῖχος καταχρεμασθέντων δικτύων συείων καὶ ἐλαφείων κ. τ. λ.* — Videtur autem vocabulum *εἰς* per haplographiam omissum esse, deinde *τούτους* corruptum esse in *οὕτως*, quod aeque facile potuit fieri atque aoristi participium *ἀναλέξαντας* mutari in participium futuri temporis. Jam igitur omnia liquent, et quomodo homines demittantur et quomodo lapides referantur et quomodo homines rursus ascendant in muros et cur ad ascendendum *κοφίνοις* uti nequeant.

---

[40]) Sic elegantissime Kirchhoffius pro eo, quod cod. Med. praebet, *διασάς*.
[41]) Ita Kirchhoffius; cod. Med. *πονῶσι*.

Jahresbericht,

das Schuljahr 1882|83 betreffend.

I. Lehrverfassung.

A. Klassen und Lehrplan.

Das Königliche Gymnasium zählte während des verflossenen Schuljahres achtzehn Klassen, nämlich neun Oster- und neun Herbstklassen.

Der Lehrplan des Gymnasiums wurde zu Ostern für die Klassen Sexta, Quinta und Oster-Quarta, im Herbste auch für Herbst-Quarta in vollen Einklang mit dem durch die ministerielle Cirkularverfügung vom 31. März 1882 revidierten Normal-Lehrplane gebracht. Dem Lehrplane der übrigen Klassen lag noch der frühere Normalplan mit den im vorjährigen Jahresberichte angegebenen Abweichungen zu Grunde.

B. Erledigte Lehrpensa.

(S. bezeichnet das Sommer-, W. das Winterhalbjahr. Die Lehrpensa der Herbstklassen beziehen sich auf das erste (Winter-)Halbjahr dieser Klassen.)

Oster-Ober-Prima (I a).

Ordinarius: Oberlehrer Dr. **Heldmann.**

1. **Evangelische Religionslehre** (2 St. w.). Grundzüge der christlichen Glaubens- und Sittenlehre nach Hollenberg, §. 158—192, mit Repetition des Katechismus. Übersicht der Unterscheidungslehren nach Hollenberg, §. 133. Erklärung der Augsburgischen Konfession. Dr. Lindenkohl.

Katholische Religionslehre (2 St. w. mit der übrigen Prima und Sekunda kombiniert). Die Lehre von der Kirche, von den Gnadenmitteln; christliche Sittenlehre. Hoffmann.

2. **Deutsch** (2 St. w.). Geschichte der deutschen Litteratur, verbunden mit der Lektüre ausgewählter prosaischer und poetischer Stücke nach Hopf und Paulsiek. Philosophische Propädeutik nach Rumpel. Aufsätze. Stoll.

3. **Lateinisch** (8 St. w.). Horat. od., sat. und epist. mit Auswahl. Memorieren einer Anzahl von Oden. (2 St.). Der Direktor. — Cic. de oratore II. mit Auswahl; Tac. ann. I. II. und Germania mit Auswahl. — Aufsätze, Exercitien und Extemporalien. Übungen im Lateinsprechen. Grammatische Repetitionen nach Ellendt-Seyffert. Stilistik nach Berger. (6 St.) Dr. Heldmann.

4. **Griechisch** (6 St. w.). Soph. Oed. rex und Antigone. (2 St.) Dr. Weber. — Hom. Il. VII—IX. XV—XVIII. — Demosth. orat. Philipp. I. Ol. III.; Platon. apol. — Grammatische Repetitionen; mündliche und schriftliche Übungen nach Seyfferts Übungsbuche und nach Diktaten; Extemporalien. (4 St.) Dr. Kius.

5. **Französisch** (2 St. w.). Chateaubriand, Itinéraire de Paris à Jerusalem. 1. Theil. Molière, L'avare. Exercitien, Diktate und Extemporalien. Wiederholung der systematischen Grammatik nach Plötz, S. 49—102. Dr. Lindenkohl.

6. **Hebräisch** (2 St. w. mit der übrigen Prima kombiniert). Grammatik nach Gesenius, § 5—145 mit Auswahl. Lektüre: Gen. 24—34. Psalm 1—10. Dr. Paulus I.

7. **Geschichte und Geographie** (3 St. w.). Neuere Geschichte nach Pütz. Geschichtliche und geographische Repetitionen. Stoll.

8. **Physik** (2 St. w.). Lehre von der Elektricität und Akustik. Allgemeine Wiederholung der Physik nach Trappe. Schorre.

9. **Mathematik** (4 St. w.). Repetition. Gleichungen des zweiten Grades mit mehreren Unbekannten. Kombinationslehre. Binomischer Lehrsatz. Planimetrische, stereometrische und trigonometrische Aufgaben. Schorre.

10. **Gesang** (2 St. mit der übrigen Prima und Sekunda kombiniert). Temme.

Herbst-Ober-Prima (I b).

Ordinarius: Gymnasiallehrer **Püttgen.**

1. **Evangelische Religionslehre** (2 St. w.). Grundzüge der christlichen Glaubens- und Sittenlehre nach Hollenberg, §. 158—192, mit Repetition des Katechismus. Dr. Lindenkohl.

Katholische Religionslehre (2 St. w.). S. Oster-Ober-Prima.

2. **Deutsch** (3 St. w.). Geschichte der deutschen Litteratur, verbunden mit der Lektüre ausgewählter prosaischer und poetischer Stücke nach Hopf und Paulsiek. Freie Vorträge. Aufsätze und Dispositionen. Philosophische Propädeutik nach Rumpel. Dr. Weber.

3. **Lateinisch** (8 St. w.). Hor. od. III. mit Auswahl und I. repetiert. Memorieren einer Anzahl von Oden (2 St.) Dr. Weber. — Aufsätze, Exercitien und Extemporalien. Grammatische Repetitionen nach Ellendt-Seyffert. Stilistik nach Berger. — Tac. ann. I. II. und Germania mit Auswahl. (6 St.) Püttgen.

4. **Griechisch** (6 St. w.). Soph. Oed. rex und Antigone (z. T.) (3 St.) Dr. Prätorius. — Demosth. orat. Phil. I. Ol. III. — Grammatische Repetitionen, mündliche und schriftliche Übungen nach Seyfferts Übungsbuche und nach Diktaten. Extemporalien. (3 St.) Wagner.

5. **Französisch** (2 St. w.). Racine, Phèdre. Exercitien, Diktate und Extemporalien. Wiederholung der systematischen Grammatik von Plötz (S. 49—66). Dr. Lindenkohl.

6. **Hebräisch** (2 St. w.). S. Oster-Ober-Prima.

7. **Geschichte und Geographie** (3 St. w.). Neuere Geschichte nach Pütz. Geschichtliche und geographische Repetitionen. Dr. Kius.

8. **Physik** (2 St. w.). Optik und Elektricität nach Trappe und Repetition der Physik. Schorre.

9. **Mathematik** (4 St. w.). Repetition der Progressionsrechnung, Trigonometrie, Stereometrie und Kombinationslehre. Planimetrische, stereometrische und trigonometrische Aufgaben. Schorre.

10. **Gesang** (2 St. w.). S. Ober-Prima.

Oster-Unter-Prima (I c).

Ordinarius: Professor Dr. **Weber.**

1. **Evangelische Religionslehre** (2 St. w.). Geschichte des Reiches Gottes nach Hollenberg, §. 1—91. Kirchengeschichte nach Hollenberg, §. 92—132. 134—157. Dr. Lindenkohl.

Katholische Religionslehre (2 St. w.). S. Oster-Ober-Prima.

2. **Deutsch** (3 St. w.). Mittelhochdeutsche Grammatik nach Martin und Lektüre nach Hopf und Paulsiek. Schillers Braut von Messina und Goethes Iphigenie. Deklamationen und freie Vorträge. Dispositionen und Aufsätze. Dr. Zuschlag.

3. **Lateinisch** (8 St. w.). Horat. od. I. II. mit Auswahl. Memorieren einer Anzahl von Oden. (2 St.) Der Direktor. — Cic. Laelius, Cato major, orat. pro Murena. — Grammatische Repetitionen nach Ellendt-Seyffert. Stilistik nach Berger. Aufsätze; Exercitien nach Seyfferts Übungsbuche und nach Diktaten; Extemporalien. Übungen im Lateinsprechen. Dr. Weber.

4. **Griechisch** (6 St. w.). S: Hom. Il. XVI. XVII. XVIII.; W: Soph. Electra. Stoll. — Grammatik nach Curtius; mündliche und schriftliche Übungen aus Seyfferts Übungsbuche und nach Diktaten. Püttgen.

5. **Französisch** (2 St. w.). Souvestre, Au coin du feu. Scribe, Le fils de Cromwell. Exercitien, Diktate und Extemporalien. Grammatik nach Plötz' Schulgrammatik, S. 1—[illegible]. Dr. Lindenkohl.

6. **Hebräisch** (2 St. w.). S. Ober-Prima.

7. **Geschichte und Geographie** (3 St. w.). Geschichte des Mittelalters nach Pütz. Geschichtliche und geographische Repetitionen. Stoll.

8. **Physik** (2 St. w.). Optik und Mechanik nach Trappe. S: Dr. Zuschlag; W: Dr. Auth I.

9. **Mathematik** (4 St. w.) Progressionen nach Heis. Beendigung der Trigonometrie. Trigonometrische und geometrische Aufgaben. S: Dr. Zuschlag; W: Dr. Auth I.

10. **Gesang** (2 St. w.). S. Ober-Prima.

Herbst-Unter-Prima (I d).

Ordinarius: Oberlehrer Dr. **Prätorius.**

1. **Evangelische Religionslehre** (2 St. w.). Geschichte des Reiches Gottes nach Hollenberg, §. 1—91. Dr. Lindenkohl.

Katholische Religionslehre (2 St. w.). S. Ober-Prima.

2. **Deutsch** (3 St. w.). Mittelhochdeutsche Grammatik nach Martin und Lektüre nach Hopf und Paulsiek. Schiller, Wallensteins Lager, Piccolomini und Wallensteins Tod. Dispositionen, Aufsätze, Deklamationen und freie Vorträge. Dr. Heldmann.

3. **Lateinisch** (8 St. w.). Horat. od. III. mit Auswahl. Memorieren einer Anzahl von Oden. (2 St.) Der Direktor. — Cic. or. pro Murena, — Grammatische Repetitionen nach Ellendt-Seyffert. Stilistik

nach Berger. Aufsätze; Exercitien nach Seyffert und Extemporalien nach Diktaten; Übungen im Lateinsprechen. (6 St.) Dr. Prätorius.

4. Griechisch (6 St. w.). Hom. Il. X. XI. XII.; Sophocl. Electra, 1—550. — Thucyd. VI. mit Auswahl. — Grammatik nach Curtius. Mündliche und schriftliche Übungen aus Seyfferts Übungsbuche; Extemporalien nach Diktaten. Dr. Heldmann.

5. Französisch (2 St. w.). Thiers, Bonaparte en Egypte. — Exercitien, Diktate und Extemporalien. Grammatik nach Plötz, Schulgrammatik, S. 1—40. Dr. Lindenkohl.

6. Hebräisch (2 St.). S. Oster-Ober-Prima.

7. Geschichte und Geographie (3 St. w.). Geschichte des Mittelalters nach Pütz. Geschichtliche und geographische Repetitionen. Dr. Kius.

8. Physik (2 St. w.). Optik nach Trappe. Dr. Zuschlag.

9. Mathematik (4 St. w.) Progressionen. Trigonometrie. Dr. Zuschlag.

10. Gesang (2 St. w.). S. Ober-Prima.

Oster-Ober-Sekunda (II a).

Ordinarius: Gymnasiallehrer **Wagner.**

1. Evangelische Religionslehre (2 St. w.). Evangelium des Johannes; Römerbrief; Galaterbrief; Repetition des Katechismus. Zülch.

Katholische Religionslehre (2 St. w.). S. Oster-Ober-Prima.

2. Deutsch (2 St. w.). Litterarhistorische Lektüre nach Hopf und Paulsiek. Schillers Maria Stuart Goethes Götz. Deklamationsübungen. Dispositionen und Aufsätze. Wagner.

3. Lateinisch (10 St. w.). Verg. Aen. IV. V. Prosodie nach Ellendt-Seyffert. Metrische Übungen. (2 St.) — Liv. XXI. mit Auswahl; Cic. pro Mil. — Grammatik nach Ellendt-Seyffert, §. 234—350. Exercitien, Extemporalien und mündliche Übungen nach Seyffert und Diktaten. Aufsätze. (8 St.) Wagner.

